Observationes in
Mayer, Lycurgi oratoris usum dicendi

OBSERVATIONES
IN
LYCURGI ORATORIS USUM DICENDI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE FRIBURGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS MAYER,

FRIBURGENSIS.

FRIBURGI.
EX OFFICINA JOS. DILGERI.
1889.

OBSERVATIONES
IN
LYCURGI ORATORIS USUM DICENDI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE FRIBURGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS MAYER,

FRIBURGENSIS.

FRIBURGI.
EX OFFICINA JOS. DILGERI.
1889.

Bernhardo Schmidt

Ottoni Hense

praeceptoribus carissimis

sacrum.

De Lycurgi oratoris usu dicendi in universum haud pauca iam observata esse a viris doctis minime ignoro. atque demonstraverunt hi quidem iudicia a veteribus de genere dicendi eius lata reliquiis usque ad hanc aetatem servatis plane confirmari; veluti, quod illi dixerunt eum digressiones ad res mythicas, poeticas, historicas in deliciis habere [1]), saepe easdem sententias iterare [2]), omnino amplificationi multifariam studere [3]), ea omnia accurate cadere in orationem adversus Leocratem habitam itemque in fragmentorum quae supersunt aliquot longiora. sed qui in syntaxin copiamque verborum Lycurgeam via ac ratione inquireret, nemo adhuc, quod sciam, inventus est. hanc igitur partem ego quidem mihi suscipiendam putavi cum aliis tum ea causa commotus, quod singulorum scriptorum genus dicendi quam diligentissime examinandum atque explanandum est, priusquam iustus verusque Graecae linguae thesaurus confici possit. — totam autem disputationem ita instituam, ut primum de copia verborum, deinde de rationibus grammaticis disseram.

---

[1]) Hermog. *π. ἰδεῶν* 3 p. 389 W. — cf. Leocrateae §§ 83—88, 94—98, 98—111.

[2]) cf. §§ 27, 45, 51, 67 etc.

[3]) Dionys. Halicarn. 6, 433 R. *ἐστὶ διαπαντὸς αὐξητικὸ. καὶ διηρμένος καὶ σεμνὸς κτλ.* (cf. Blass, d. att. Bered amk. III, p. 92 sq.)

PARS PRIMA.

De copia verborum.

Quod ad verborum copiam attinet, primum satis multa verba, quae solis poetis solent concessa esse, apud hunc oratorem inveniuntur, quippe quem altam et sollemnem orationem amasse iam veteres adnotaverint.[1]) deinde pauca *ἅπαξ λεγόμενα* quae dicuntur apud eundem nobis occurrunt, et permulta verba non illa quidem ex poetarum usu sumpta, sed quae aut a communi Atticorum consuetudine omnino abhorreant aut certe saepius a Lycurgo quam ab aliis praecipueque ab oratoribus aequalibus Demosthene Aeschine Hyperide adhibeantur, ita ut indolis eius et scribendi generis fere propria sint putanda. denique ea quoque notatu digna sunt, quae alia significatione a Lycurgo quam a ceteris usurpantur.

Exordium igitur sumamus a poeticis.

ἀκλεής § 91 (*τοῦ ἀκλεοῦς καὶ ἀδόξου θανάτου*).

εὐκλεής § 49 (*εὐκλεᾶ θάνατον*), § 91 *τὸν εὐκλεᾶ κίνδυνον*).

εὔκλεια § 82 (*περιορᾶν τὴν κοινὴν καὶ μετὰ πολλῶν πόνων συνειλεγμένην εὔκλειαν . . . καταλυομένην*) ad sententiam cf. § 110 *τὴν ἐξ ἅπαντος τοῦ αἰῶνος συνηθροισμένην τῇ πόλει δόξαν κατήσχυνε.*[2])

κτείνειν § 127 pro *ἀποκτείνειν*.

---

[1]) Dionys. Halic. l. c. Hermog. l. c. *τροπικώτεροι γάρ εἰσιν οἱ λόγοι μᾶλλον αὐτοῦ.*

[2]) cf. Isocr. VI, 109 *κάλλιόν ἐστιν ἀντὶ θνητοῦ σώματος ἀθάνατον δόξαν ἀντικαταλλάξασθαι καὶ ψυχῆς, ἣν οὐχ ἕξομεν ὀλίγων ἐτῶν, πρίασθαι τοιαύτην εὔκλειαν, ἣ πάντα τὸν αἰῶνα τοῖς ἐξ ἡμῶν γενομένοις παραμενεῖ.* hic non solum altiorem sonum poeticumque colorem adsumit oratio, sed etiam varietati (*δόξαν-εὔκλειαν*) studet orator.

μηλόβοτος fragm. 15 (ed. Baiteri et Sauppii, Turici 1834) (*ἀλλὰ καὶ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνῆκε* sc. *Αὐτόλυκος*), or. Leocr. § 145 (*ὁ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν εἶναι... καταψηφισάμενος*), ubi ira inflammatus Lycurgus iudices, ut condemnent reum, hortatur. qui autem magis irritare potuit Atheniensium animos orator, quam adfirmando, quantum ad Leocratem, armentis Atticam agrum pascuum esse? praesertim cum hoc dicto in mentem revocaret eis miserias illius temporis (a. a. Chr. 404), quo Thebani hoc fieri volebant (Isocr. XIV, 31 *ἔθεντο τὴν ψῆφον* sc. *Θηβαῖοι, ὡς χρὴ τὴν πόλιν ἐξανδραποδίσασθαι καὶ τὴν χώραν ἀνεῖναι μηλόβοτον ὥσπερ τὸ κρισαῖον πεδίον*).

ὀρκάνη frg. 74 i. q. *ἕρκος* (saepes s. saeptum.) cf. Eurip. Bacch. 611 ed. Nauck. Aeschyl. Sept. 346 ed. Dindorf. (v. Eustath. s. v.).

πετεινός § 132. cf. Aeschyl. Sept. 1020. Eurip. Rhes. 515. — saepius dicitur *πετεηνός*, quam veram et antiquissimam formam (ex *πετεσηνός*) esse putat Leo Meyer („vgl. Gramm. d. griech. u. latein. Sprache" I. Berlin. 1884[2]. p. 112).

τοκεῖς pro *γονεῖς* § 147, quod indulsisse sibi Lycurgum non miror in epilogo illo (§§ 141—150), ubi ad summam verborum magnificentiam adscendit sollemni allocutione. invenitur etiam in altiore stilo epitaphii apud Thucyd. II, 44, 1. Herod. III, 52. Xenoph. Memorab. II. 1, 33.

Magis minusve accedunt ad poeticam dictionem permulta composita cuiusque generis, in quibus sunt:

ἀείμνηστος §§ 7, 110 (Isocr. IV, 157. Aeschin. III, 148).

ἀνελέητος § 148 — *ἀναπόδεικτος* § 129 — *ἀνυπέρβλητος* §§ 101, 105 — *ἄοικος* frg. 62. *ἀοίκητος* §§ 60, 62 (Demosth. XLV, 70. Isocr. IV, 148.

εὔδηλος § 116 pro δῆλος („sonnenklar" Rehdantz) (Andocid. I, 76)

ἰσόθεος § 88.

ὁμογνωμόνως § 97.

περιβόητος § 69 (Aeschin. I, 113. Demosth. XVIII, 297) — περίφοβος § 40 — περιλείπεσθαι § 87 (cf. Homer. T, 230. Eurip. Hel. 426. — Herod. II, 1, 16).

συνατυχεῖν § 131 (cf. recentiores Diod. XIII, 52. Plut. Agis. 17).

φιλόπολις §§ 3, 43 (107 in Tyrtaei carmine) — φιλάνθρωπος § 3 — φιλοπράγμων § 3 (Isae. IV, 30) — φιλότεκνος § 101 — φιλοψυχεῖν § 130 (Lys. II, 25).

Pertinent huc etiam ea verba composita solito saepius ab oratore usurpata, in quibus praepositiones cumulatae sunt:

ἀντικαταλλάττεσθαι § 88 (Demosth. XVIII, 138. Aeschin. III, 92 [1]).

προσαναγράφειν § 118 (absurdum esset a temporis ratione τοὺς ὕστερον προαναγραφέντας, quae lectio extat in codicibus Crippsiano (A), Laurentiano (B), Oxoniensi (N), ut omittam προαναγράφειν omnino non inveniri hoc saeculo. [2])

συμπαρατάττεσθαι § 144.

συναναιρεῖν § 60 (Antiph. V, 42).

συναπολογεῖσθαι § 138 (cf. Aeschin. I, 122 ἐναπολογεῖσθαι).

συνδιαφυλάττειν § 143.

---

[1]) Etiam Aeschinem in deliciis habere huius modi verba composita demonstravit Trentepohl (observationes in Aeschin. usum dicendi. diss. Gotting. Argentor. 1877 p. 5.)

[2]) Sic etiam προπαραδιδόναι, quod § 128 codices minoris auctoritatis praebent, reicio, quia, quid sibi velit illo loco 'antea tradere', non intellego.

Restat, ut de dictionibus quibusdam agam, quae ipsae quoque huc pertinere videntur.

§ 109 traditum est ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τοῦ βίου, qua cum locutione comparaverunt Koerneri illud „hier steh' ich an den Marken meiner Tage" [1]). sed tamen negandum est haec verba sententiae huius loci convenire. itaque probabilem duco coniecturam Ch. Wurmii, qui deletis verbis τοῦ βίου scripsit ἐπὶ τοῖς ἠρίοις, praesertim cum eadem voce Lycurgus etiam alio loco usus sit, sc. frg. 14; ἠρίον autem verbum est in primis apud poetas usitatum.

Verba τὸ ἄστυ τῆς πόλεως § 18 fortasse ex poetarum et oraculorum sermone dicta sunt. cf. Rehdantz ad h. l. et in append. II. p. 129., quamquam, si πόλις h. l. rem publicam significare putatur, poetici nihil inest.

§ 7 κατὰ παντὸς τοῦ αἰῶνος ἀείμνηστον (cf. p. 7) καταλείψει τοῖς ἐπιγιγνομένοις τὴν κρίσιν: vocem αἰών, quae apud Lycurgum recurrit §§ 62, 106, 110, ab Isocrate mutuatum esse oratorem suspicor (cf. Isocr. IV, 28. 46. X, 62), quia ceteri oratores Attici et omnino plerique solutae orationis scriptores eam plane respuunt. nam in epitaphio qui fertur Demosthenis (§ 6) hoc vocabulum inveniri nil interest, quia genuinam non esse illam orationem constat inter omnes.

§ 33 τὴν ὑγρότητα αὐτῶν τοῦ ἤθους τοῖς δακρύοις εἰς ἔλεον προαγαγέσθαι.

§ 40 ἐπὶ γήρως οὐδῷ περιφθείρεσθαι (cf. Homer. *X*, 60. *Ω*, 487. *ο*, 348). quod ad περιφθείρεσθαι attinet, cf. Rehd. append. I. p. 107.

§ 43 ὑπὲρ τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερίας ἀγωνίζεσθαι (pro πολεμεῖν. cf. Demosth. IX, 70. XVIII, 66. Aeschin. II, 72. III, 134).

---

[1]) cf. Samuel Elias 'Quaestiones Lycurgeae' diss. inaug. Halis Saxon 1870 p. 12.

§ 49 *τοὺς ταῖς διανοίαις πτήξαντας τὸν τῶν ἐπιόντων φόβον.*

§ 50 *στέφανον τῆς πατρίδος εἶναι τὰς ἐκείνων ψυχάς.*

§ 71 *οὐκ ἂν κατέλευσαν τὸν καταισχύνοντα τὴν αὐτῶν ἀριστείαν* („den Schänder ihres Heldentums" Rehd.). *ἀριστεία* legitur apud Sophocl. (Aiac. 443 ed. Nauck.), in Anthol. Palat. (VII, 312, 2), pluriens apud Homerum.

§ 89 *οὐδὲ γὰρ καλὸν αὐτὴν* (sc. *τὴν γῆν*) *καλύπτειν τοὺς τῇ ἀρετῇ διαφέροντας καὶ τὸν κάκιστον πάντων ἀνθρώπων.*

frg. 75 *τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὁρᾶν* (i. q. *ζῆν*).

frg. 75 *ὑπόμνημα γεγονὼς αἰσχύνης καὶ ὀνείδους τῇ πατρίδι.*

(cf. Blass l. c. p. 100.)

Transeamus iam ad ea, quae, ni fallor, sunt *ἅπαξ λεγόμενα.*

frg. 2 *ἑδωλιᾶσαι* i. e. *καθέζεσθαι* (deducitur ab *ἑδώλια*).

frg. 89 *ἐπέγγυος,* quod quid valeat, colligendum est e contraria vocis *ἀνέγγυος* significatione, quae extat apud Platonem (resp. 5. p. 461 B. *νόθον καὶ ἀνέγγυον παῖδα*), Plutarchum (moral. p. 249), Dionem Cassium (59, 12). est autem *ἀνέγγυος* ‚non desponsus', ergo *ἐπέγγυος* est ‚desponsus'.

frg. 93 *κτηματίτης* est is, qui multa habet *κτήματα* (cf. Phot. lex. p. 181.)

frg. 28 *σείρινα* sc. *ἱμάτια* sunt vestes tenues. et pellucidae, calori aestatis accommodatae (cf. Harpocr. s. v.).

frg. 85 *σπογγοκολυμβητής* significat eum, qui sub aqua submergit, ut spongias rupibus adhaerentes avellat extrahatque (Poll. VII, 137).

Addere iuvat hic adverbium *αὐτοχειρί* apud nullum neque poetam neque solutae orationis scriptorem inveniri nisi semel apud Callimachum (epigr. XXII, 3 ed. O. Schneider); nam *αὐτοχειρίᾳ* adhibetur loco adverbii

(Demosth. XXV, 57. — Herod. I, 123. III, 13. — Poll. II, 154. Hesych. s. v.). ceterum plerumque aut substantivum aut adiectivum αὐτόχειρ usurpatur (Sophocl. Antig. 172. 306. 1315. Eurip. Med. 1281. Iphig. Aul. 873. — Demosth. XX, 158 δεινὸν τὸ τιν' αὐτόχειρ' ἄλλον ἄλλου γίγνεσθαι. XVIII, 287 μετὰ τῶν αὐτοχείρων τοῦ φόνου. Isocr. XIV, 302. IV, 111. Antiph. V, 62.)

Progrediamur iam ad ea vocabula, quae, quamquam non a Lycurgo solo adhibentur, tamen a ceteris oratoribus Atticis, nisi fallor, aliena sunt.

ἀδοξεῖν 'ignobilem esse' § 82 (Xen. Oeconom. IV, 2.).

βλάστησις frg. 53. praeter hunc locum omnino non invenitur nisi apud Theophrastum (hist. pl. II, 7, 6. V, 4, 6. IX, 11, 11.).

διακαρτερεῖν § 85 (Herod. VII, 107. Xen. Hell. VII, 21.).

ἐμπορπᾶν § 40 (Herod. VII, 77 et recentiores).

καυχᾶσθαι frg. 78 (praeter poetas Herod. VII, 39. Aristot. polit. H (E) VIII, 10 ed. Schneid.).

μισθωτεύειν frg. 86 (praeter Aristoph. Plut. 30 a solis scriptoribus ecclesiasticis usurpari videtur).

Denique quod in significatione verborum novavit Lycurgus non inutile erit enumerare.

ἀρετή § 49 (τὰ ἆθλα τοῦ πολέμου τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν εἰσὶν ἐλευθερία καὶ ἀρετή) non ipsam virtutem potest significare, sed id, quod virtute efficitur, sc. gloriam virtutis. v. Bernhardy, griech. Synt. p. 56. Kuehner, ausführl. Gramm. d. gr. Spr.² § 346, 6.

διαλαμβάνειν § 131 (τὰ τῆς φύσεως οἰκεῖα καὶ μέγιστα, ἃ καὶ τοῖς ἀλόγοις ζώοις μέγιστα καὶ σπουδαιότατα διείληπται) ad animi actionem pertinet; significat enim 'diiudicare, statuere, existimare, censere' (Hesych. διαλαβών, διαγιγνώσκων. διειληφότες, νομίσαντες).

διαλλάττειν frg. 32 vicem tenet verbi μεταλλάττειν i. e. τελευτᾶν.

Dictionem *πέρας ἔχειν* § 60 (*περὶ τὰς πόλεις συμβαίνει πέρας ἔχειν τὴν ἀτυχίαν ὅταν ἀνάστατοι γένωνται*) significatione 'ad summum fastigium pervenisse s. summum fastigium attigisse' Lycurgus videtur ab Isocrate mutuatus esse, qui scripsit IV, 5 *ὅταν . . . τὸν λόγον ἴδῃ τις ἔχοντα πέρας, ὥστε μηδεμίαν λελεῖφθαι τοῖς ἄλλοις ὑπερβολήν.* V, 141 *ἡγοῦμαι ταῦτα πέρας ἕξειν· οὐδένα γὰρ ἄλλον ποτὲ δυνήσεσθαι μείζω πρᾶξαι τούτων·* alibi voci *πέρας* notio 'finis' subest; qua re adductus est Taylor, ut h. l. *εὐτυχίαν* pro *ἀτυχίαν* scribendum esse censeret.

De usu illo adverbii *εἰκότως* in fine totius enuntiationis absolute positi uberius agere supersedeo, quoniam Elias (l. c. p. 15) de hac re disputavit (cf. etiam Rehdantzii ed. p. 138.). hoc tantum adfero, noviens (§§ 47, 79, 88, 94, 102, 108, 126, 128, 133) in una Leocratea hunc usum inveniri i. e. multo saepius quam apud ceteros oratores. — plane eundem in modum adhibetur ab oratore adv. *δικαίως* §§ 3, 93, 122 (§ 66) (ab Aeschine etiam *ὀρθῶς* III, 27. a Demosthene *καλῶς* XX, 118.).

Adamasse Lycurgum nomina varie composita iam supra (p. 7) commemoravimus, eundemque complures praepositiones cum verbis (simplicibus) copulasse neque inusitata huiusmodi composita fugisse ibidem adnotavimus. maiorem sic orationi vigorem gravitatemque addi manifestum est, ita ut hinc quoque probetur iudicium Dionys. Halic., qui (l. c.) Lycurgum *αὐξητικὸν καὶ διηρμένον καὶ σεμνόν* appellat. idem fere etiam verbis una praepositione compositis efficitur, si eis pro simplicibus utitur orator:

§ 117 bis *ἀναγράφειν*, ubi *γράφειν* (veluti § 126 *ἔγραψαν εἰς τὴν στήλην*) sufficeret.

§ 51 *ἀπονέμειν τιμάς*, quod non legitur nisi apud Isocratem (IV, 1. 178) pro usitato *τιμὰς νέμειν*.

§§ 3, 18, 114 *διασώζειν*.

§ 107 *ἐκστρατεύεσθαι*.

§ 21 ἐκτρέφειν.

§§ 35, 55, 79, 88 ἐξαπατᾶν.

§§ 25, 26 ἐξαρκεῖν·

§ 62 ἐπάρχειν (saepe ap. Isocr., velut IV, 68, 123, 141, 144, 177. Xenoph. Cyrop. IV, 6, 2.).

§ 61 καταδουλοῦν.

§§ 19, 42, 56, 73, 74, 91, 95 κατοικεῖν

§ 2 παρέχειν συγγνώμην[1]).

§ 139 εἰς τὸν ἴδιον οἶκον αὐτὰς (sc. τὰς λειτουργίας) περιποιησάμενοι, (contra Demosth. XIX, 37 πάντα ἀποδεχόμενος καὶ ἐς αὑτὸν ποιούμενος. Thucyd. VIII, 48, 1 τὰ πράγματα ἐς ἑαυτοὺς ποιήσειν).

[§ 84 verba εἰ ἐπιλήψονται Ἀθήνας germana esse vix quisquam crediderit.]

Ex altera parte simplicia verba pro compositis multo rarius adhiberi a Lycurgo minime miror, cum animo reputo eum ad exemplar Isocratis ubertati orationis studere. haece tamen inveni:

§ 91 ἐλθεῖν, ubi potius κατελθεῖν (quod scripserunt Herwerden et van den Es) exspectaveris.

§ 43 καλεῖν pro usitatiore παρακαλεῖν ('advocare alqm, ut suscipiat causam suam defendendam').

§ 127 κτείνειν pro ἀποκτείνειν (cf. p. 7).

pro χάριν τίθεσθαι (§ 148) vulgo dicunt χάριν κατατίθεσθαι (Antiph. V, 61. Aeschin. III, 42. Demosth. XIX, 240. LIX, 61. — Herod. VI, 41. Thucyd. I, 33). simplex verbum praeter hunc legi apud Demosth. LI, 17,

---

[1]) fuerunt, qui h l. totum enuntiatum μὴ παρέχοντας συγγνώμην eici vellent tanquam additum a librario nescio quo ad declaranda verba ἀπαραιτήτους δικαστάς. sed recte Pinzger aliique animadverterunt fusius quoddam et copiosius dicendi genus hic illic apud Lycurgum nobis occurrere eiusque hoc proprium videri. quid? nonne optimi quoque scriptores amplificare solent sententiam et illustrare negatione opposita? — eadem ductus ratione patrocinium suscipiam traditae lectionis § 134 μέλλοντες ἀδικεῖν, ὅταν μὴ ληφθῶσιν ('nondum in ips crimine deprehensi').

saepius apud poetas (velut Aeschyl. Prometh. 782. Eurip. Electr. 61. Hec. 1211).

Sequitur, ut, quo magis perspectam habeamus Lycurgi consuetudinem dicendi, agamus de coniunctione synonymorum, quibus et ipsis efficit orator, ut ubertate verborum sententiae pondus augeat. in quibus adhibendis Lycurgus ut Isocratem eiusque genus quod vocant demonstrativum (*γένος ἐπιδεικτικόν*) aemulari videtur (cf. Blass, d. att. Bdskt III, 2. p. 102), ita modum magis, quam ille, tenuit. Isocrates enim adeo cumulat synonyma, ut sermonis dignitas vigorque magis imminui quam augeri nobis quidem videatur. exempla apud Lycurgum haec fere collegi.

§§ 2, 143 *τοὺς νεὼς καὶ τὰ ἕδη καὶ τὰ τεμένη*, § 150 *τοὺς νεὼς καὶ τὰ ἱερά*, § 2 *τῷ δήμῳ καὶ τῇ πόλει*, § 145 *τὸν δῆμον καὶ ὑμᾶς*[1]), § 43 *τὴν τῆς πόλεως καὶ τοῦ δήμου σωτηρίαν*, § 30 *προφάσεων* (*ἢ λόγων*) *ἢ σκήψεως*, § 100 *μεγαλοψυχίαν καὶ γενναιότητα*, frg. 75 *αἰσχύνης καὶ ὀνείδους*, — § 25 *ἐπὶ ξένης καὶ ἀλλοτρίας*, § 91 *ἀκλεοῦς καὶ ἀδόξου*, § 120 *ὁμοίας καὶ ἀκολούθους ἀλλήλοις*, — § 127 *ὅμοια ἐκείνοις καὶ ἀκόλουθα* — § 148 *ὀρθῶς καὶ δικαίως*, — § 2 *ἀπαραιτήτους δικαστάς, μὴ παρέχοντας συγγνώμην* (cf. p. 13 adn.), § 3 *διαφυλάττει καὶ διασώζει*, § 150 *διαφυλάττειν καὶ σώζειν*, § 18 *καταχθεὶς* (si modo retinendum est) *καὶ ἀφικόμενος*, § 25 *ἀγανακτῆσαι καὶ μισῆσαι* § 29 *ἐλέγχειν καὶ βασανίζειν*, § 74 *ἐπαινεῖτε καὶ τιμᾶτε* et paulo infra *οὔτ' ἔδεισεν οὔτ' ᾐσχύνθη*, § 100 *ἀποβλέποντας καὶ θεωροῦντας*, § 141 *ἐν ὀφθαλμοῖς ὄντες καὶ ὁρώμενοι*, § 141 *δεήσεται καὶ ἱκετεύσει*, § 147 *τὰ τεμένη τέμνεσθαι καὶ τοὺς νεὼς κατασκάπτεσθαι*, frg. 75 *ἡγουμένου καὶ στρατηγοῦντος* et ibidem *ζῆν καὶ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὁρᾶν*.

Sed est tertium quoddam, quo maior evadit verbosi-

---

[1]) cf. Demosth. XXI, 134. XIX, 132. Aeschin. I, 1. Dinarch. I, 99.

tas nec plerumque perspicuitas non augetur. circumscribitur scilicet saepius simplicis verbi notio verbo *ποιεῖν* s. *ποιεῖσθαι* cum accusativo vel substantivi vel adiectivi (cf. Matthiae gramm. graec. § 421): § 1 *ποιεῖσθαι τὴν ἀρχὴν* (Isocr. IV, 15), ubi sufficeret *ἄρχεσθαι*, §§ 11, 12 *ποιεῖσθαι τὴν κατηγορίαν* (Lys. XII, 3.), § 96 *τὴν ἀποχώρησιν ποιεῖσθαι*, § 102 *ἐπίδειξιν ποιεῖσθαι* (Isocr. IV, 17. V, 17. 93), § 120 *τὰς τιμωρίας ποιεῖσθαι* (Isocr. IV, 182).

Porro circumscribuntur verba nonnulla passivo *γίγνεσθαι* consociato cum nomine substantivo aut adiectivo, quod a verbis istis deducitur. veluti pro *ἡγοῦμαι τὸν πατέρα αὐτῷ . . . ἁπάντων ἂν χαλεπώτατον γενέσθαι δικαστὴν* (§ 136) non minus bene dici posse videtur... *ἁπάντων ἂν χαλεπώτατα δικάσαι αὐτόν*. nihilo minus est aliquid discriminis inter duas has locutiones: illa fortior est, quippe qua magis urgeatur parentem Leocratis ex amantissimo patre iam severissimum factum esse iudicem. similiter fere iudicandum est de § 77 *πῶς ἂν ἄνθρωπος γένοιτο ἀνοσιώτερος ἢ μᾶλλον προδότης τῆς πατρίδος* (i. q. . . . *ἢ μᾶλλον προδοίη τὴν πατρίδα*); § 145 *σύνοικος ὑμῶν*[1]) *γενήσεται* (pro *ὑμῖν σονοικήσει*).

Paulo tritiora sunt § 10 *δύο γάρ ἐστι τὰ παιδεύοντα τοὺς νέους* (pro *δύο παιδεύετον*, ad exemplar Isocr. II, 2: *τοὺς μὲν γὰρ ἰδιώτας ἐστὶ πολλὰ παιδεύοντα*;) § 36 *ὁμολογούμενόν ἐστι* pro *ὁμολογεῖται* (cf. Demosth. I, 12 *τί τὸ κωλῦον . . . αὐτὸν ἔσται*; VI, 29. VIII, 75).

Amantissimos fuisse talium circumlocutionum Thucydidem et Antiphontem, gravis illius quod dicunt dicendi generis auctores, docuit P. Both.[2]) atque Isocratem, quem hic quoque imitatus esse Lycurgus videtur,

---

[1]) ceterum saepius dicunt *σύνοικος εἶναι* s. *γίγνεσθαι τινί*.

[2]) 'De Antiph. et Thucyd. genere dicendi'. diss. Marburg. 1875. p. 30 sq.

sexcentiens verbum ποιεῖσθαι posuisse ad simplicis verbi notionem circumscribendam iam E. H. Haupt [1]) adnotavit aliique, velut Gehlert [2]), pluribus adlatis exemplis confirmaverunt.

Ut in fine huius partis quae adhuc disputavimus paucis complectamur, haec fere videntur dicenda.

Primum satis multa invenimus, quae vehementer abhorrent a pedestri dictione poesinque spirant, plura fortasse, quam apud plerosque oratores Atticos. quod nemini erit admirationi, si reputaverit, quanto Lycurgus studio in poetarum operibus versatus sit, utpote qui, ne depravarentur summorum poetarum monumenta, fabularum codicem quam maxime accuratum describendum et publice conservandum curaret, quo ab exemplari actoribus in agendis fabulis discedere non liceret, praeterea summa pietate coluisse eum magnos civitatis poetas inde quoque intellegitur, quod statuas trium tragoediae principum. Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, in theatro Bacchi, quod ipse confecerat, poni iussit.[3]) ista autem frequentia verborum poesin redolentium auctam esse gravitatem orationis et splendorem, etiamsi nonnunquam turgida fieri videatur, quis est qui neget? plane idem efficitur eo, quod carmina tota poetarum in oratione nobis tradita recitavit [4]) (§§ 92, 100, 103, 107 [109]), puto, ut auditores praeclarorum exemplorum contemplatione delectarentur atque pietatis sensu implerentur. denique quod translationibus et imaginibus multis (velut μηλόβοτος, ἐπὶ γήρως οὐδῷ [cf. supra], § 53 οὐκ ἀπέδωκε τὰ τροφεῖα

---

[1]) 'De Isocr. epistulis prima, sexta, octava', diss. Lips.-Zittau 1873. p. 7.

[2]) 'De elocutione Isocratea', diss. Lips. 1874. p. 25 sq.

[3]) v. Ps. Plut. vit. Lyc. p. 348 ed. Reisk.

[4]) cf. Hermog. l. c. χρῆσαι δὲ πολλάκις καὶ ταῖς παρεκβάσεσιν ἐπὶ . . . ποιήματα φερόμενος· ἃ δὴ τῆς φαινομένης ἐστὶ καὶ αὐτὰ δεινότητος.

τῇ πατρίδι [cf. Lys. II, 70], § 124 ἀπάσας τὰς ὁδοὺς τῶν ἀδικημάτων ἐνέφραξαν) utitur, hoc quoque poesis studio attribuendum est: nam poetarum est quam maxime ea deligere verba, quibus certae imagines rerum nobis proponantur. quod si exempla huius usus vellem omnia adferre, in magnum volumen adcresceret haec dissertatio (cf. Blass l. c. p. 99 sq.).

Deinde, si intenta oculorum acie singula perlustraveris, non pauca profecto esse vocabula reperies, quae cum Isocrate communia sint Lycurgo, quod iam supra compluriens tetigimus. neque id mirum est, quoniam familiari utique usus est illo (v. Ps. Plut. v. Lyc. initio, p. 345 Reisk. — Diog. Laert. III, 46). ceterum etiam totas sententias ex eodem transtulisse in orationem suam Lycurgum Blass (l. c. p. 96 adn. 1.) et Sam. Elias (l. c. p. 19) adnotarunt.

In universum denique ea praesertim a Lycurgo usurpata et celebrata esse consentaneum est, quae sollemnitati et gravitati fore persuasum haberet. idemque etiam in syntaxis usu, ad quem nunc accedimus tractandum, secutum esse oratorem videbimus.

PARS ALTERA.

De articulo.

Nativam pristinamque significationem pronominis demonstrativi servavit articulus § 99, si quidem sanus est hic locus (nam praecedente genetivo absoluto δὲ positum est): χρήσαντος αὐτῷ τοῦ θεοῦ . . . ὁ δὲ τῷ θεῷ πειθόμενος τοῦτ' ἔπραξε. v. Bernhardy gr. Synt. p. 304 sq. Kuehner[2] § 533 adn.

De articulo ad nomina propria adposito, qui proxime accedere ad nativam notionem demonstrativam mihi videtur, haec adnotanda puto: nomini rei, i. e. Leocratis, in oratione nostra non praefixus est articulus nisi uno loco (§ 32), quamquam, quin huius hominis, de quo tota est oratio, nomen fuerit notum, dubitari nequit (v. Kuehner § 462 et adn.). quod eo magis potest mirum videri, quia aliis nominibus propriis, ubi semel commemorata sunt, praefigere solet Lycurgus articulum: § 23 (praecedente nomine *Ἀμύντας* § 22) *ὁ Ἀμύντας* et *τῷ Ἀμύντᾳ* et iterum *ὁ Ἀ.*, § 23 (praecedente nomine) *ὁ Τιμοχάρης*, § 112 *τοῦ Φρυνίχου.* quamquam non plane sibi constare Lycurgum docet § 23 (in fine) *Ἀμύντου.* — idem iudicandum est de eo, quod § 21 legitur *εἰς τὴν Ῥόδον* et *ἐκ τῆς Ῥόδου*, sed § 14 et § 18 *εἰς Ῥόδον*, § 62 *τοῦτο μὲν τὴν Τροίαν . . ., τοῦτο δὲ Μεσσήνην.* — quod ante *Πειραιεύς* modo adicitur articulus (§§ 18, 37), modo omittitur (§ 37), haec communis Graecorum consuetudo est (cf. Lys. XII, 53 *εἰς τὸν Πειραιᾶ*, sed paullo infra *ἐκ Πειραιῶς*, et ib. §§ 54, 55, 56, 59 v. Bremi in exc. IV. ad Isocr. part. I. p. 207). — etiam nominibus populorum modo praeposuit orator articulum, modo (et hoc quidem rarius) non. exempla, quae collegi, enumerare omnia longum est. sed non inutile erit adferre haec § 61 *ὑπὸ τῶν τριάκοντα καὶ ὑπὸ Λακεδαιμονίων*, § 84 *Πελοποννησίοις* (*γενομένης ἀφορίας κτλ.*), contra § 85 *ἐμβαλόντων τῶν Πελοποννησίων*, § 108 *οἱ μὲν γὰρ πρόγονοι...*, *Λακεδαιμόνιοι δὲ....* ceterum propterea hoc animadvertendum putavi, quod apud Isocratem nomina propria populorum oppidanorumque paucis exceptis (velut *οἱ Ἕλληνες*, *οἱ Ἴωνες*) destituta sunt articulo (cf. Bremi, exc. IV. — E. H. Haupt l. c. p. 7 s. f.) — idem accidit in Lysiae orationibus, cf. Pertz, quaestt. lys. I, 6.

Deinde dignum est notatu interdum apud oratorem nomini proprio praemitti articulum, etiamsi appositio

ipsa quoque cum articulo coniuncta sequatur: § 17 *τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος καὶ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Σωτείρας*, § 136 *ἐν τῷ τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος* (sed § 137 *Διὸς Σωτῆρος*), § 87 *τοῦ Ἱππάρχου τοῦ προδότου*, § 137 *τῷ Κλεομάντει τῷ Δελφῷ*. nam ex plurimorum consuetudine expectas *Διὸς τοῦ Σωτῆρος* etc. (v Matthiae § 274. Kuehner § 462 adn.). attamen apud alios quoque oratores deorum hominumque notorum nomina cum articulo coniuncta appositioni praemitti docebunt Demosth. XVIII, 253 *τὸν Δία τὸν Δοδωναῖον·* XXXV, 40. Aeschin. I, 55 *μὰ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπιον·* Isae. XI, 30 *ὁ Γλαύκων ὁ τοῦ Ἁγνίου ἀδελφός*, quorum exemplorum numerus facile augeri potest.

Denique commemoramus non positum esse articulum ante appellativa propriorum nominum vice fungentia: § 96 *τῶν* (exspectamus *τὸν τῶν*) *εὐσεβῶν χῶρον*, §§ 117 et 118 *ἐξ ἀκροπόλεως*, quod nomen saepe caret articulo (Isae. V, 42. Isocr. XVIII, 18. 20. 34. Demosth. IX, 41. Aeschin. II, 174. 175. — cf. Bremi exc. IV. l. c.) neque tamen semper eo destitutum est apud oratores Atticos (Isocr. V, 146. VIII, 47. 126. XV, 234. 237. 319 et Leocrateae ipsius § 17), qui quidem talibus nominibus, quoniam res significant, quae semel tantum inveniuntur, videntur addere articulum solere, si ab aliis discernere volunt (velut § 17 *οὔτε τοὺς λιμένας..., οὔτε τὰ τείχη.., οὔτε τὴν ἀκρόπολιν*), sin minus, omittere.

Videmus igitur, quod ad articulum ante nomina propria positum attinet, Lycurgum parum sibi constitisse.

Ante genetivum posterioris duorum substantivorum articulum prioris non repetit Lycurgus[1]) (velut: § 1 *τὴν*

---

[1]) vix igitur recte fecerunt ei (velut Turicenses editores), qui auctoritate optimorum librorum contempta codices Laurentianum (B) et Vratislaviensem secuti scripserunt § 84 *τὸν βασιλέα τὸν Ἀθηναίων* (pro *τῶν Ἀθηναίων*).

ἀρχὴν τῆς κατηγορίας, § 17 τοὺς λιμένας τῆς πόλεως) nisi tribus locis: § 14 τὴν πόλιν τὴν τῶν Ῥοδίων, § 118 ἡ εἰκὼν ἡ Ἱππάρχου, § 137 τὴν εἰκόνα τὴν τοῦ πατρός. ac ne priori quidem substantivo adponit articulum § 144 ἐν ἐλευθέρῳ (Dobree ἐλευθ. τῷ) ἐδάφει τῆς πατρίδος § 149 ὑπὲρ ἀναστάσεως τῆς πατρίδος, § 45 (τῆς ἐλευθερίας καὶ) τοῦ δήμου σωτηρίας, quod breviter est dictum pro τῆς τοῦ δήμου σωτηρίας.

Similem in modum omittitur articulus ante substantivum, quamquam positus est ante sequens adiectivum: § 55 μετὰ παιδὸς τοῦ διακονοῦντος, § 38 ἱερὰ τὰ πατρῷα, neque his adnumerare dubito § 73 ὅρους τοὺς εἰς τὴν ἐλευθερίαν. v. Kuehner § 464, 8.

In substantivis particula καὶ coniunctis paullo rariorem articuli usum deprehendimus in § 30 οἱ οἰκέται καὶ θεράπαιναι, ubi diversi generis substantiva comprehenduntur uno articulo; contra § 32 οἱ οἰκέται καὶ αἱ θεράπαιναι, § 34 τοὺς οἰκέτας καὶ τὰς θεραπαίνας. similiter ne in hisce quidem sibi constat orator: § 90 scripsit τοὺς κλέπτοντας καὶ ἱεροσυλοῦντας, sed § 117 τοὺς ἀλιτηρίους καὶ τοὺς προδότας, quamquam utriusque loci condicio est eadem h. e. eidem homines binis substantivis designantur. — prius substantivum articulo caret, posterius non: frg. 98 δεῖ φίλοις καὶ τοῖς οἰκείοις βοηθεῖν. — de § 61 ὑπὸ τῶν τριάκοντα καὶ ὑπὸ Λακεδαιμονίων, ubi exspectamus aut καὶ Λακεδ. aut καὶ ὑπὸ τῶν Λ. vide p. 18. — si duo adiectiva particula καὶ copulata uni substantivo praemittuntur, priori tantum adiectivo addere solet Lycurgus articulum, velut § 91 τοῦ ἀκλεοῦς καὶ ἀδόξου θανάτου, § 46 ἐν τοῖς δημοσίοις καὶ κοινοῖς ἀγῶσι. sed repetit sollemni quodam modo articulum § 128 τὴν δικαίαν καὶ τὴν εὔορκον ψῆφον θήσεται. ac ne ceteri quidem oratores Attici certam in hac re legem secuti esse videntur: Demosth. XXI, 227 τὴν ὁσίαν καὶ δικαίαν θέμενοι ψῆφον, sed XIX, 311 τὴν ὁσίαν καὶ τὴν δικαίαν

ψῆφον θέσθαι. Dinarch. I, 110 τὴν ὁσίαν καὶ δικαίαν φέρετε ψῆφον, sed II, 20 μὴ προδοῦναι τὴν ὁσίαν καὶ τὴν εὔορκον ψῆφον.

Iam ut de singulis quibusdam locis agam, ubi articulus videri potest paullo insolentius positus esse [1]), in verbis § 128 τῷ λιμῷ ἀπέκτειναν (sc. Παυσανίαν) articulus nihil habet offensionis, etiamsi concedendum est necessarium eum non esse. explicandus autem est ita fere, ut τῷ λιμῷ dicatur significari fames, qua Pausaniam confici eorum qui obsidebant adeo neminem fugerit, ut contra consulto hoc mortis genere illum perire vellent. cf. Thucyd. I, 126, 10. VII, 4, 5. Demosth. XX, 42 τῷ λιμῷ πάντας αὐτοὺς ἀποθανεῖν. XXVII, 63 με ... τῷ λιμῷ περιεῖδον ἀπολόμενον. saepius tamen deest articulus.

Subtiliter discernitur inter λαμβάνειν τὴν τιμωρίαν § 111 et λαμβάνειν τιμωρίαν §§ 71, 126: illic enim agitur de poena debita certeque constituta. atque idem dicendum est de articulo nomini criminis praemisso. § 117 Ἵππαρχον ... τὸν .. ὑπομείναντα τὴν περὶ τῆς προδοσίας.... κρίσιν (sed § 137 περὶ προδοσίας τοῦτον κρίνων § 141 περὶ προδοσίας κρίνοντας); verum non quadrat haec ratio in verba § 7 ὅταν.... τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς δικάζητε, quia hic non ad certam rem respicitur, sed in universum genus designatur (exempla adfert Maetzner ad h. l. cf. Frohberger ad Lys. XIX, 60.)

Permirum est offendisse nonnullos (velut Osannum) articulum ante πολλοί positum: § 19 ὃν καὶ ὑμῶν ἴσασιν οἱ πολλοὶ κατηγοροῦντα κτλ. § 3 ἐβουλόμην δ'ἂν... φιλάνθρωπον αὐτὸ παρὰ τοῖς πολλοῖς ὑπειλῆφθαι. notissimum est enim οἱ πολλοί pro οἱ πλεῖστοι dici. cf. Demosth. VIII, 1. Aeschin. II, 17. IX, 66. Kuehner § 465, 11, b.

---

[1]) haud scio an adferendus sit hic locus: § 65 θάνατον ἐποίησε τὴν ζημίαν, quia, quatum video, paene totiens in similibus substantivo ζημία additur articulus, quotiens omittitur. cf. Frohberger ad Lys. I, 33.

Articulo infinitivis adposito effici ut substantivorum sint instar illi infinitivi notum est. sed haud scio an rariora habenda sint haece exempla: § 91 *τὸ ἐλθεῖν τούτου οἶμαι θεόν τινα αὐτὸν...ἀγαγεῖν* i. e. 'quod ad eius adventum attinet,' etc. § 100 *συνεθίζεσθαι ταῖς ψυχαῖς τὸ τὴν πατρίδα φιλεῖν,* ubi articulus etiam abesse poterat: cf. Isocr. XV, 265 *συνεθιζόμενοι μένειν καὶ πονεῖν* Din. I, 55 *τὸν ἐν τοῖς μικροῖς συνεθιζόμενον ἀδικεῖν* (de § 142 *τοῦ μὴ καταλυθῆναι* cf. p. 30, ubi de genetivo agetur). desideramus articulum infinitivi loco subiecti adhibiti § 61 *πόλεως ἐστι θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι.* contra § 67 *ἡγοῦμαι τὸ μὴ πολλοὺς τοιούτους γενέσθαι ἡμέτερον εὐτύχημα εἶναι.*

Denique iuvat adferre reliquos locos eos, quibus articulus praeter exspectationem omissus est.

§ 11: *οἱ μὲν γὰρ πλεῖστοι ..... πάντων ἀτοπώτατον ποιοῦσιν,* utut explicamus usum (cf. Bernhardy, synt. p. 438. Maetzner ad h. l.), omissionem articuli *τό*, quo Germani aegre caremus, ante superlativum mutuatum esse Lycurgum ab Isocrate docent complura huius exempla simillima, velut VII, 35 *πάντων ἀλογώτατον πεπόνθασιν,* § 114 *πεπόνθατε πάντων αἴσχιστον καὶ ῥαθυμότατον.*

Quod deest articulus § 2 *ὑπὲρ πατέρων καὶ παίδων καὶ γυναικῶν καὶ πατρίδος καὶ ἱερῶν*, § 26 *οὔτε νομίμων οὔτε πατρῴων οὔτε ἱερῶν φροντίσας,* § 27 *μὴ φροντίσαντα μήτε ἱερῶν μήτε πατρίδος μήτε νόμων,* haec omissio, quamvis conveniat nostrae quidem linguae („für Väter, Kinder, Weiber, Vaterland" etc.), apud Graecos rarius deprehenditur (coniunguntur tamen *παῖδες καὶ γυναῖκες* omisso articulo ap. Demosth. XVIII, 215 bis, XIX, 86 et 125, ap. Aeschin. III, 157. Dinarch. I, 99). immo coacervari solent in talibus articuli: § 1 *κρίνω τὸν προδόντα αὐτῶν καὶ τοὺς νεὼς καὶ τὰ ἕδη καὶ τὰ τεμένη καὶ τὰς...θυσίας,* § 35 *προδότης ἐστι τῆς πατρίδος καὶ τῶν νόμων,* § 149 *καὶ τῇ πατρίδι βοηθῶν καὶ τοῖς*

ἱεροῖς καὶ τοῖς νόμοις. § 150 *νομίζοντες....ἱκετεύειν ὑμῶν τὴν χώραν καὶ τὰ δένδρα, δεῖσθαι τοὺς λιμένας τὰ νεώρια καὶ τὰ τείχη τῆς πόλεως, ἀξιοῦν δὲ καὶ τοὺς νεὼς καὶ τὰ ἱερὰ βοηθεῖν αὐτοῖς.* — utra dictio altior sit, vix potest diiudicari.

De § 87 *αὐτῷ τε καὶ ἐκγόνοις*, ubi articulum *τοῖς* e codice minoris auctoritatis Vratislaviensi (Z) temere receperunt editores nonnulli, v. Maetzner. ad h. l.

De nominibus substantivis.

Priusquam adgrediamur ad exponendam numerorum casuumque singulorum rationem, adferre liceat nonnulla, quae ad substantivorum usum universum spectant. Abstracto substantivo utitur Lycurgus pro concreto frg. 7: *ἡ ἡλικία* pro *οἱ ἐν ἡλικίᾳ, οἱ νέοι* (Harpocr.). hoc uno loco excepto adnotandum est substantivum *ἡλικία* apud Lycurgum semper aetatem quamlibet, non adulescentiam, significare: § 40 *τοὺς...ταῖς ἡλικίαις πρεσβυτέρους*, § 44 *οὐκ ἔστιν ἥτις ἡλικία οὐ παρέσχετο ἑαυτήν*, § 144 *Ποία δὲ ἡλικία δικαίως ἂν τοῦτον ἐλεήσειε;* — item § 132 *ἡ νεοττιά* pro *οἱ νέοι* adhibitum esse dici potest.

Nomen proprium nimio, ut nobis quidem videtur, perspicuitatis studio posuit orator, ubi pronomen sufficeret, § 87 *ἀποκτείνειν τὸν Κόδρον*, ubi exspectamus *αὐτόν*, quia in eadem sententia praecessit *τῷ Κόδρῳ*. neque aliter iudicandum est de § 119 *ἐπειδὴ τὸ σῶμα οὐκ ἐδύναντο ὑποχείριον τοῦ προδότου λαβεῖν, τὸ μνημεῖον τοῦ προδότου ἀνελόντες.... ἐκόλασαν.* § 130 *τοσοῦτον ἀφέστηκα τοῦ ἀδίκως τὴν εἰσαγγελίαν κατὰ Λεωκράτους ποιήσασθαι, ὅσον ἐγὼ μὲν ἐβουλόμην ... ἐν τοῖς Λεωκράτους οἰκέταις ... τὸν ἔλεγχον γενέσθαι.* cf. Krueger, gramm.[5] § 51, 5 adn. 2 et eiusdem adn. ad

Xenoph. Anab. I, 3, 14.[1]) — perspicuitatis autem, ut dixi, studio scriptoris hoc genus attribuere malo quam neglegentiae atque festinationi, quamquam limatiores, velut Isocratem, talia non admisisse concedendum est.

A. NUMERI.

Saepius solito Lycurgus pluralem abstractorum quae vocantur substantivorum usurpat, qui usus maxime Isocratı familiaris est (cf. Gehlert l. c. p. 20., Bremi exc. VII. ad Isocr. oratt. part. I. — E. H. Haupt l. c. p. 7.), ita ut hac quoque in re illum secutus esse videatur; idque tanto libentius oratorem fecisse puto, quia hoc dicendi genus sermoni poetico, quem adfectat, magis quam pedestri convenit. — significat autem plurativus numerus singulos casus condiciones status, velut χάριτες (v. infra) sunt indicia gratiae et benevolentiae (Gunstbezeugungen, Gunsterweisungen) vel ipsa dona, aut denotat singulas concretas res, quae uno abstracto nomine continentur, velut plurali οὐσίαι designat orator multas pecunias sive auri argentique acervos. — cf. Kuehner § 348, 3. Bernhardy p. 62. — exempla apud Lycurgum haec sunt:

§§ 78, 79, 97 ἀδικίαι. cf. Isocr. VIII, 141.

§ 133 ἀτυχίαι. cf. Isocr. IV, 112. XII, 9. Demosth. XLIV, 66. Aeschin. III, 79.

§§ 49, 64, 75 διάνοιαι.

§ 128 ἐπικουρίαι (cf. βοήθειαι Isocr. IV, 125. V, 31. Demosth. XXXIV, 52.).

§ 46 εὐλογίαι (pluralis huius nominis magis poetarum esse videtur, singularis invenitur ap. Isocr. VII, 76. Thucyd. II, 42, 1).

---

[1]) etiam § 117/118: αὐτὸς ὁ Ἵππαρχος .... ἡ εἰκὼν τοῦ Ἱππάρχου τοῦ προδότου haud scio an sufficeret ἐκείνου τοῦ προδότου.

§ 48 *εὖνοιαι.* cf. Isocr. XIV, 15, 51. Demosth. VIII, 25.

§ 18 *εὐτυχίαι* ('res florentes'). cf. Isocr. IV, 1. X, 44. Lys. XVIII, 19.

frg. 96 *εὐτυχήματα.*

§ 6 *ἔχθραι.* cf. Lys. XII, 2. Demosth. XXXIX, 11.

§ 40 *ἡλικίαι* (cf. supra). cf. Aeschin. I, 10. 194.

§ 35 *ὁμολογίαι.*

§ 127 *οὐσίαι* (cf. *πλοῦτοι* Isocr. VII, 4 et saepius. Bremi l. c.). — Aeschin. III, 255.

§ 108 *τύχαι.* cf. Isocr. IV, 92, 163.

§ 140 *φιλοτιμίαι.* cf. Isocr. III, 18. Demosth. XIX, 223. Aeschin. III, 255.

§§ 37, 43 *φόβοι.* cf. Aeschin. I, 175.

§§ 20, 139 *χάριτες.* cf. Isocr. IV, 63. Demosth. VIII, 53. Aeschin. III, 86.

Paulo tritiora sunt pluralia *καιροί* §§ 36, 57 et *χρόνοι* §§ 9, 39 bis, 42, 44, 57, 98, 105. ceterum notatu dignum esse puto pluralem *καιροί* plerumque in malam partem accipiendum esse, id quod maxime intellegitur ex § 36 *καιροὺς καὶ κινδύνους.*

Singularem contra pro plurali usurpatum non inveni, nisi forte huc referendum esse censes, quod dicitur § 132 *ἡ νεοττιά* pro *οἱ νέοι* (v. supra) p. 24) et §§ 76, 96 *τὸ θεῖον* pro *οἱ θεοί.*

Mira numeri varietas et inconstantia occurrit conferentibus § 51 *τοὺς...αἰσχύνοντας καὶ προδιδόντας ταῖς ἐσχάταις τιμωρίαις κολάζειν,* et § 53 *ἀξίους εἶναι* (sc. *τοὺς φεύγοντας*) *νομίζων τῆς ἐσχάτης τιμωρίας.* praeterea vocis *τιμωρία* pluralis legitur §§ 116, 119, 120, 126, singularis § 134. — cf. Kuehner § 347, 4 et 348 adn. 3. plus offensionis habere videtur § 33 *προφάσεων καὶ λόγων καὶ σκήψεως.*

B. CASUS.

I. Vocativus.

In compellandis iudicibus oratores alius aliam dicendi formam praeferunt. sed quam quisque praetulerit, quoniam longum est enumerare, relego ad Schoemann. adn. ad Isae. p. 195. cf. etiam Trentepohl l. c. p. 58, Rehdantz-Blass ad oratt. Demosth. Philipp. (Lips. 1886) s. v. 'Anrede'. — apud Lycurgum legimus:

quinquagiens ὦ ἄνδρες, quae formula ap. Antiph. et Andoc. praevalet. v. E. Meier, de Andoc. commentt. V, 1 (index. scholar. univers. Hal. 1838.), p. IX.

sexiens ὦ Ἀθηναῖοι[1]: §§ 5, 15, 16, 51, 110, 150.

ter ὦ ἄνδρες δικασταί: §§ 80, 100, 116.

semel ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι: § 1; ac ne hic quidem codices omnes consentiunt, omittunt enim ἄνδρες codd. Cripsianus auctore Osanno (A°), Laurentianus (B), Oxoniensis (N).

semel ἄνδρες δικασταί § 85, in fine enuntiati, quo potissimum loco, aeque atque initio, abesse interiectio ὦ solet. cf. Schoemann. ad Isae. p. 228.

II. Accusativus.

De accusativo absoluto τὸ ἐλθεῖν τοῦτον § 92 cf. Kuehner § 478. — frequentius apud scriptores Graecos est aliud accusativi absoluti genus, quod legitur § 90 ὥσπερ οὐ πάντας.... τούτῳ τῷ τεκμηρίῳ χρωμένους, cuius usus exempla adferuntur a Maetznero ad h. l. et a Sluitero (lectt. Andocid. p. 101). cf. etiam Bernhardy p. 133. Kuehner § 488 d et 489, 3.

---

[1]) Ἀθηναῖοι pro δικασταί iudices appellari poterant, quia omnes cives Athenienses triginta annos nati iudicum munus obibant, ita ut oratores heliasticum iudicium compellantes ad universum populum sermonem derigere viderentur. itaque etiam ipsa πόλις in iudiciis sententiam pronuntiasse dicitur; quo pertinet locutio ὑπὸ τῆς πόλεως ἀποθανεῖν (Leocr. § 93).

Attractione admodum dura et aspera in verbis § 42 τὸν δῆμον ὃν πρότερον Λακεδαιμόνιοι . . . ἐκαλοῦντο, οὗτος ἐδεῖτο...subiectum δῆμος in relativi subsequentis casum cessit. quae attractionis forma [1]) ut prorsus contraria tritiori relativi attractioni, ubi pronomen relativum praecedenti, ad quod refertur, substantivo adcommodatur, attractio inversa nominari solet. cf. Lys. XIX, 47 τὴν οὐσίαν ἣν κατέλιπε τῷ υἱεῖ οὐ πλείονος ἀξία ἐστίν. Isocr. VI, 48 πολιτείαν δ'οἵαν εἶναι χρή, παρὰ μόνοις ἡμῖν ἐστιν (cf. Demosth. II, 2). Krueger § 51, 10, adn. 9. Bernhardy p. 303. nostro loco quia praecedunt infinitivi ex coniunctione ὥστε suspensi, facillime fieri potuit, ut orator accusativum (τὸν δῆμον) poneret, iuxta ac si pergere vellet καὶ (ὥστε) τὸν δῆμον,..., τοῦτον δεῖσθαι, quamquam postea structura per anacoluthiam subito mutata pergit recta oratione οὗτος ἐδεῖτο [2]).

Accusativus pro dativo positus est § 84 Πελοποννησίοις....ἔδοξε στρατεύειν....καὶ ἐξαναστήσαντας καταννείμασθαι τὴν χώραν, cum dativus, ad quem participium pertinet, longius distet. cf. § 31 τῶν...τὰς κρίσεις ἐνισταμένων (sc. ἐστὶν)... τἀναντία φαίνεσθαι τούτοις ποιοῦντας, ὥσπερ ἡμεῖς (sc. ποιοῦμεν).

Rarius illud accusativi quem nostrates appellant „Akk. des Inhalts" exemplum § 49 πτήξαντας τὸν τῶν ἐπιόντων φόβον iam supra commemoravi (p. 10).

In deliciis habere Lycurgum insolentiorem et asperam orationem (cf. Hermog. l. c. πολὺ δὲ τὸ τραχὺ καὶ σκληρὸν ἔχει) docet id quoque, quod pro solito accusativo, qui relationem ad rem aliquam significat („Akk.

---

[1]) Quo cum genere cave confundas accusativos absolutos, velut Od. α' μητέρα δ' (i. e. quod ad matrem), εἰ οἱ θυμὸς ἐφορμᾶται γαμέεσθαι, ἂψ ἴτω κτλ., ubi relativum non subsequitur (cf. Matthiae § 298, 3).

[2]) de latini sermonis simillimo usu cf. Schmalz, lat. Syntax in „Iw. Mueller, Hdb. d. klass. Altertumsw." II. p. 261.

des Bezugs"), adhibet dativum: § 100 συνεθίζεσθαι ταῖς ψυχαῖς τὸ τὴν πατρίδα φιλεῖν, § 40 τῷ χρόνῳ πασῶν ἐστὶν ἀρχαιοτάτη (sc. ἡ πόλις), nec minus pro usitatiore genetivo: § 48 οὐχ ὁμοίως ἔχουσιν ἅπαντες ταῖς εὐνοίαις. quare ne § 40 quidem, ubi codices Lycurgi exhibent τὰς ἡλικίας πρεσβυτέρους, cum editoribus Turicensibus ταῖς ἡλικίαις scribere dubitaverim, quae lectio Suidae s. v. πεπορπημένος testimonio confirmata magno insuper simillimorum exemplorum numero defenditur, velut Aeschin. II, 25 οἱ πρεσβύτεροι ταῖς ἡλικίαις, Thucyd. V, 3 ἡλικίᾳ ὢν ἔτι νέος ἀνήρ· plura v. ap. Rehdantz. append. II. ad h. l. — denique eadem ratione ductus etiam § 123 ὑπερβαλέσθαι ἐκείνους τῇ τιμωρίᾳ cum Scheibio aut ταῖς τιμωρίαις cum Stephano pro tradito τῆς τιμωρίας (cuius patrocinium suscepit Kuehner § 418, 6) recipi velim.

Venio iam ad accusativos ex verbis pendentes.

Insolentiore structura et quae apud solos recentioris aetatis scriptores interdum inveniatur coniunctum est § 88 verbum κληρονομεῖν cum accusativo: ὑπὲρ ἧς (sc. χώρας) γὰρ οὕτω σφόδρα ἐσπούδαζον, δικαίως ταύτην καὶ τεθνεῶτες ἐκληρονόμουν, cuius usus exempla mihi non praesto sunt nisi haec: Polyb. IX, 39. Plut. Sull. c. 2. Lucian. dial. mort. XI, 3. Athen. V. p. 211 F. [1]) cf. Kuehner § 416 adn. 9. Matthiae § 329. — etiam in verbis § 19 ὡς καὶ μεγάλα βεβλαφὼς (sic Sauppe-Thalheim — καταβεβλαφώς Rehdantz, Jenicke, — καὶ βλάβους codd., quae verba nullo modo teneri posse luce clarius est) εἴη τὴν πεντηκοστὴν μετέχων αὐτοῖς accusativum e verbo μετέχειν, quod alias genetivum adsciscit, pendere haud ita absonum esse videtur suspicari, quamquam totus hic locus, in quo expediendo quantum

---

[1]) ubi tamen cod. Paris. C ἀποθανόντος praebet pro ἀποθανόντα, 'fort. recte', ut adnotat Kaibel.

elaboraverint interpretes, vix dici potest, misere depravatus est, ita ut certi quidquam adfirmare non audeam verum enimvero si illo, quem dixi, modo mentem oratoris interpretamur, omnia cohaerent aptissime, atque apud ipsos oratores Atticos μετέχειν interdum, etsi raro, cum accusativo coniungitur: Isocr. IV, 99. VI, 3. cf. reliqua exempla apud Kuehnerum, § 416 adn. 1.

Duplex denique accusativus e verbo φεύγειν suspensus, qui legitur § 70 φεύγοντι τὴν πατρίδα τεττάρων ἡμερῶν πλοῦν εἰς Ῥόδον, in hanc sententiam accipiendus est, ut alter accusativus locum, a quo s. quem fugit, alter iter, quod fugiens permetitur Leocrates, designet. cf. Hartung „Über die Casus etc.“ p. 59 sq.

III. Genetivus.

Frequentissima sunt apud Lycurgum adiectiva et participia, quae praemisso articulo substantivorum instar genetivum illius nominis adsciscunt, ad quod revocanda sunt. qui usus manavit ex eodem Lycurgi studio, quo vigorem dictioni addere multifariam temptat. etenim quia substantivi genetivus in eiusmodi locutionibus ex adiectivo pendet, cum vulgo adiectivum in eodem, quo substantivum, casu positum sit, efficitur, ut adiectivi notio, i. e. species, graviter et acriter generi, quod in substantivo continetur, opponatur atque maiorem vim adsumat. exempla haec fere sunt: § 6 τὰ κοινὰ τῶν ἀδικημάτων, § 111 τὰ καλὰ τῶν ἔργων,, § 104 et 110 τὰ τοιαῦτα τῶν ἔργων, § 133 οἱ τοιοῦτοι τῶν ἀνθρώπων. § 18 τῶν ἐμπόρων οἱ παρεσκευασμένοι, § 48 τοὺς φύσει γεννήσαντας καὶ τοὺς ποιητοὺς τῶν πατέρων, (§ 102 bis et § 108 τὰ κάλλιστα τῶν ἔργων). cf. Krueger § 47, 28. Kuehner § 414, b. Bernhardy p. 154 et 155. quod dicendi genus quamquam ne ab aliis quidem oratoribus plane alienum est (cf. Isocr. IX, 41 τὸν πλεῖστον χρόνου. Aeschin. II, 8 τῆς κατηγορίας τὴν πλείστην. Demosth.

XLIV, 6 ὁ πολὺς τοῦ λόγου LVIII, 5 τὸν πλεῖστον τοῦ χρόνου. Dinarch. I, 55 τὰ μεγάλα τῶν ἀδικημάτων), tamen apud Lycurgum saepissime invenitur.[1]) referri huc potest etiam illud § 132 τῶν ποιητῶν τινες (pro ποιηταί τινες), neque ego hac analogia nixus § 22 τῶν φίλων Ἀντιγένην ex codicibus Crippsiano *A* et Laurentiano *B* non receperim pro τὸν φίλον Ἀντιγ. reliquorum librorum. cf. Matthiae § 321.

Singularis quidam genetivi partitivi usus statuendus est § 16 ἐψηφίσατο ὁ δῆμος....τοὺς στρατηγοὺς τάττειν εἰς τὰς φυλακὰς τῶν Ἀθηναίων καὶ τῶν ἄλλων τῶν οἰκούντων Ἀθήνησι καθ' ὅ τι ἂν αὐτοῖς δοκῇ. quos genetivos cave referas ad φυλακάς, immo pendent ex verbo τάττειν (cf. Matthiae § 323 b.), ita tamen, ut etiam cum καθ' ὅ τι ἂν κτλ. coniungendi sint; etenim καθ' ὅ τι ἂν δοκῇ idem valet atque ὅσοι ἂν ἱκανοὶ εἶναι δοκῶσιν vel tale aliquid ('duces populus iussit.... in vigilias disponere Atheniensium peregrinorumque quidquid eis [sc. ducibus] visum esset').

Genetivus (ὑπὲρ ὧν) τοῦ μὴ καταλυθῆναι...χίλιοι ἐτελεύτησαν § 142 revocandus est ad finem causamque agendi (i. q. ἕνεκα τοῦ μὴ καταλ). cuius dictionis exempla a Matthiaeo § 540, adn. 1. adlata sufficient ad refutandum Voigtlaenderum[1]), qui ex infinitivo tanquam ex substantivo genetivum ὧν pendere opinatus praep. ὑπὲρ cum τοῦ μὴ καταλ. coniungit. ceterum Thucydides huius breviloquentiae auctor fuisse videtur[2]) (cf. Bergk. gr. Ltgsch. IV. p. 291).

Transeamus ad genetivos cum verbis coniunctos.

---

[1]) similia inter Latinos scriptores Tacitum in deliciis habere notum est. cf. annal. II, 15 'avia Oceani' III, 5 'asperrimo hiemis', histor. IV, 81 'certa maris' etc. (cf. Schmalz, l. c. p. 268. 70. adn. 2).

[2]) 'de locis nonnullis Lycurg. disp.' Schneeberg 1825. p. 4.

Ἀκούειν Lycurgus cum genetivo consociare solet et hominum (§§ 25, 93, 143, frg. 41) et rerum (§§ 29, 37, 77, 100, 104, 106, 107 bis, 108, 115, 121, 122, 124), semel una cum utroque genetivo, et rei et personae (§ 16 *ἀκοῦσαί μου τῆς κατηγορίας*), semel cum accusativo personae: § 80 *ὃν ἄξιον* (sc. *ἐστίν*) *ἀκοῦσαι*, cum accusativo rei et genetivo personae § 15 *ἃ Λεωκράτους ἀκηκόεσαν*. quarum dictionum nulla, quantum video, plane aliena est a ceteris oratoribus praeter eam, ubi duplex genetivus usurpatur. cf. Trentepohl l. c. p. 70. Kuehner § 417 adn. 7. Bernhardy p. 150 sq.

Ἐπιτροπεύειν significatione 'curare, regere, custodire, administrare' a solo, ut videtur, Lycurgo cum genetivo copulatur frg. 30: *ἐκ τῶν ἱερῶν ὧν ἡμεῖς ἐπετροπεύσαμεν·* cf. Kuehner § 409, 1 (§ 420, 2), Matthiae § 412, 6.

Haud ita facile est diiudicatu, utrum § 144 librorum lectio *τίς ἂν....τῶν..τελευτησάντων παρανοίας καταγνοίη* retinenda sit, an cum Reiskio Bekkero aliis *παράνοιαν* scribere praestet. etenim etiamsi, ut *παράνοιαν* recipiamus, suadeat, quod ipse Lycurgus § 22 *κατεγνώκει αὐτοῦ ἀΐδιον φυγήν*, § 145 *φυγὴν αὐτοῦ καταγνούς*, § 93 *οὗ θάνατον ἡ πόλις κατέγνω* scripsit (cf. Bernhardy p. 243), tamen obstare videtur simillimum exemplum Demosth. prooem. 35: *παρανοίας ὑμεῖς κατεγιγνώσκετε ὑμῶν αὐτῶν*, et quod utroque loco codices uno consensu genetivum praebent. itaque rem in dubio relinquo. accedit, quod Lycurgus nequaquam easdem semper eorundem verborum structuras adhibet. sic *κρατεῖν* notione vincendi cum quarto casu coniungit (*τὸν...στόλον ἐκράτησαν*), § 99 et § 106 (*τῶν πολεμίων*) cum secundo, neque id, quod grammatici (cf. Kuehner

---

[1]) hoc quoque genus in latino sermone Tacitus, qua est breviloquentia, frequentat. cf. Schmalz l. c. p. 268. 71. adn. 1.

§ 420 adn. 6) statuunt notionis discrimen (κρατεῖν c. acc. = 'vincere', c. gen. = 'potiri') interest.

IV. Dativus.

Pauca hic habeo, quae adnotem (cf. ea, quae iam supra dicta sunt, p. 28).

Ut omittam frequentes illas dativi ethici formulas, velut *λαβέ μοι, λαβὲ αὐτοῖς, μοι ἀναγίγνωσκε*, alias (§§ 28, 36, 86, 114, 118, 120, 125, 129, 146), minus tritus est usus dativi ex substantivo verbali tanquam ex participio pendentis. sic verba § 63 *τῶν συνηγόρων αὐτῷ* idem valent ac *τῶν συνηγορούντων αὐτῷ*. cf. Isae. III, 79. Demosth. I, 22. III, 20. IV, 21. 28. XVIII, 41 (*αὐτῷ σύνεργος*). — Matthiae § 390. Bernhardy p. 92. Hartung l. c. p. 25.

Dativus, qui locum tenet praepositionis *ὑπό* c. gen. coniunctae, non invenitur nisi duobus locis: § 15 *ἐναντιώτατα τοῖς τούτῳ διαπεπραγμένοις*, § 69 *τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων*. cf. Kuehner § 368, c. Matthiae § 395

De nominibus adiectivis.

Innumerabilium exemplorum, in quibus adiectiva vel participia substantivorum vice funguntur, haec tantum adfero: *τὰ γεγραμμένα* („Klagepunkte") §§ 5, 80; *τὰ εἰσηγγελμένα* §§ 29, 55; *τὰ ἀμφισβητούμενα* („Streitpunkte") § 79; quae quidem participiorum neutra indicant aliquid, quod a mera qualitate tantum distet, quantum ab aliqua re, quae semel accidit (cf. Otfr. Mueller, griech. Ltgsch.[1] II. p. 331/32 et adn.)

Persaepe adiectivi loco usurpat Lycurgus adverbium, velut §§ 127, 147 *ἐν τῇ τήμερον ἡμέρᾳ* (Dinarch. I, 107), § 9 *ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις*, § 9 *τοῦ νῦν ἀδικήματος*, § 62 *τῶν τότε πόλεων*, § 134 *τῶν πώποτε προ-*

δότων (cf. Bernhardy p. 323), quibus ex locis intellegitur temporalia potissimum adverbia sic adhiberi ad rationem temporis breviter graviterque indicandam. (cf. Aeschin. II, 120 τὴν ἐξαίφνης ὁμόνοιαν Demosth. XVIII, 197 οἱ καθάπαξ ἐχθροί (Ps) Demosth. XVII, 13. cf. etiam Frohberger ad Lys. XIV, 40, ubi Lysiae exempla colleguntur). videtur autem Lycurgus saepius reliquis oratoribus in hoc genere versatus esse.

Etiam aliis pro adiectivis circuitionis generibus saepius solito orator utitur, quorum pauca tantum exempla adferam: § 31 τὰς ἐν τοῖς νόμοις θυσίας (pro τὰς νομίμας θ· vel τὰς θ. τὰς ἐν τοῖς νόμοις ὡρισμένας), § 34 τῆς ἐκ τῶν νόμων τιμωρίας, § 148 τῶν κατὰ προαίρεσιν ἀδικημάτων. plura adferentur, ubi de praepositionibus agetur.

Sed progrediamur ad aliam rem notatu dignam. si enim, quomodo collocata sint adiectiva, quaerimus, oratorem in praedicativa quae dicitur collocatione adhibenda quasi exultare intellegimus: § 1 Δικαίαν .. καὶ εὐσεβῆ .... τὴν ἀρχὴν τῆς κατηγορίας .. ποιήσομαι. § 6 τὰ κοινὰ τῶν ἀδικημάτων κοινὰς καὶ τὰς[1]) προφάσεις ἔχειν § 12 δικαίαν τὴν ψῆφον φέρειν (ad huius loci similitudinem iure Bekker correxisse mihi videtur, § 13 εὐορκοτάτην τὴν ψῆφον ἐνεγκεῖν, quo loco τὴν, quod in codicibus omissum est, quam facile excidere potuerit apertum est). § 67 ἰδίαν τὴν τιμωρίαν ἐζήτησε, § 101 ἀνυπέρβλητόν τινα δεῖ τὴν εὔνοιαν ἔχειν. § 120 ὁμοίας τὰς τιμωρίας ἐποιοῦντο etc. qua structura ab omnibus fere oratoribus usurpata tamen alii aliis freqentius utuntur: apud Andocidem quater tantum, apud Dinarchum noviens, saepius apud Demosthenem, saepissime apud Isocratem

[1]) temere Hertlein (Coniecturen zu griech. Presaikern II. Beilage. Lycealprogr. Wertheim. 1862 p. 24) τάς eici vult. cf. Rehd. ad h. l.

invenitur (cf. Elias. l. c. p. 17. — Blume, ed Leocr. p. 57. Kruegcr § 50, 11), a quo Lycurgum permulta esse mutuatum iam satis decantatum est. — etiam tali adiectivorum collocatione plus ponderis orationem nancisci manifestum est.

Comparativus.

Augendi ponderis orationis causa comparativo addit Lycurgus adverbium μᾶλλον § 125 κρεῖττον ἔδοξεν αὐτοῖς.... τεθνάναι μᾶλλον ἢ.... δουλεύειν. qui usus quamquam poetarum potissimum proprius est, tamen interdum apud oratores quoque invenitur: Isae. I, 43 (πολὺ κάλλιόν ἐστι ψηφίσασθαι κατὰ τὸ γένος.... μᾶλλον ἢ κατὰ τὰς διαθήκας) id. I, 15. IX, 16. Isocr. VI, 89 (πολὺ γὰρ κρεῖττον.... τελευτῆσαι τὸν βίον μᾶλλον ἢ ζῆν) id. VI, 109. X, 27, 53. XIX, 46. II, 22.[1]) Lys. VII, 33. Demosth. XXXIV. 48. XL, 3. (cf. Sluiteri lectt. Andocc. Lips. 1834. p. 145.) quae exempla docebunt tum praesertim μᾶλλον addi, cum multorum vocabulorum spatio interiecto comparativi notio perspicuitatis causa in mentem nobis revocetur necesse est. — huc pertinet etiam § 86 προῃροῦντο ἀποθνήσκειν.... μᾶλλον ἢ ζῶντες μεταλλάξαι τὴν χώραν.

Superlativus.

Inter ea, quae orationis vim dignitatemque augent, imprimis numerandus est superlativus μονώτατος, qui alibi perraro (Aristoph. Plut. 182. Equitt. 352. Theocr. XV, 137. — Ps. Herod. v. Homer. c. 37. Aesop. fab. 350.), apud oratores Atticos, qui aetatem tulerunt[2]), nusquam, in una Leocratea bis, § 88 et § 89, invenitur. (cf. Blass, l. c. p. 101 adn. 5). (cf. Matthiae[3] § 133

---

[1]) cf. etiam Gehlert l. c. p. 25.

[2]) sed Hyperidis hunc superlativum proprium fuisse testimonio est Hermog. π. ἰδεῶν τομ β' c. 11. p. 382 ed. W.

adn. 4.) eodem amplificandi studio Lycurgus § 67 εἷς μόνος, ubi unum alterumve sufficeret, dixisse videtur. —

Offendit editores nonnullos, quod § 29 positivus gradus cum superlativo coniungitur: πολὺ δοκεῖ δικαιότατον καὶ δημοτικὸν εἶναι; quare etiam δημοτικώτατον scribi voluerunt. quod minime est necessarium, — nec vero confugiendum est ad Pinzgeri sententiam, qui superlativum ab adiectivo δημοτικός omnino abiudicat, quae opinio refutatur ipsorum oratorum locis nonnullis: Lys. XXV, 23. Isocr. VII, 16. — sed cum omnino huiusmodi inconcinnitatis exempla non desint (cf. Rehdantz ad h. l. et Kuehner § 349 b. adn. 2), tum ne Isocrates quidem, quamquam maxime inter omnes concinnae orationi studuit, ad tantam processit aequabilitatem, ut semper superlativum superlativo, positivo positivum adderet (cf. Isocr. XI, 12).[1]) ceterum cf. Leocr. § 49 εἰ δὲ δεῖ καὶ παραδοξότατον μὲν εἰπεῖν, ἀληθὲς δέ, ἐκεῖνοι νικῶντες ἀπέθανον.[2])

De adverbio

nihil fere habeo, quod addam eis, quae iam supra (p 33) dixi de adverbiis adiectivorum vice fungentibus. — quod ad adverbialem accusativi ἀρχὴν (§ 125 ἀρχὴν γὰρ οὕτως ᾤοντο δεῖν ζῆν τοὺς πολίτας) usum attinet, cf. quae exposuit Classen ad Thucyd. II, 74, 3. (cf. Aeschin. III, 117. Lys. VIII, 1.)

---

[1]) ne Latini quidem scriptores respuunt talia: Sallust. or. in Lepid. I, 45, 1 (ed. Kritz) 'quibus per ceteras gentes maximi et clari estis'. Vellei. Paterc. II, 69 'acri atque prosperrimo bello'.

[2]) persuadere mihi non potuit Hertlein (l. c. p. 25), qui παραδοξότερον scribi vult. nam quod adfert exemplum, sc. § 62, ob id ipsum nihil efficere potest, quia nostro loco sequitur ἀληθές δέ, illic et in omnibus illiusmodi formulis nihil opponitur.

De pronominibus.

Pronomina personalia.

De collocatione genetivorum ἡμῶν et ὑμῶν adnotandum est genetivum substantivo praemissum esse quinquiens (§§ 61, 23, 84, 102, 140), postpositum sedeciens (§§ 82, 83 bis, 84 bis, 85 bis, 101, 104, 108, 117, 124, 127, 128 bis, 141.)

Pronomina reflexiva.

Primum animadvertendum est contractas formas αὑτοῦ, αὑτῷ etc. praeferre Lycurgum formis ἑαυτοῦ etc: leguntur illae quadragiens quater, hae viciens.

In collocandis genetivis αὑτοῦ, αὑτῶν ex substantivis aptis non recedit orator a communi Atticorum genere dicendi[1]), nisi quod ter genetivum insolenter postponit: § 35 τὴν ἐξουσίαν τῆς ἀπολογίας αὑτοῦ, § 46 τὰς ψυχὰς αὑτῶν, § 128 τὸν βασιλέα αὑτῶν (cod. Oxon. N αὐτῶν).

Ubi reflexivum exspectatur, αὐτός positum est, § 38 εἰς τοσοῦτον προδοσίας ἦλθεν ὥστε κατὰ τὴν αὐτοῦ προαίρεσιν ἔρημοι μὲν ἦσαν οἱ ναοί κτλ. § 70 οἱ πρόγονοι... τοὺς ἄλλους ἠλευθέρωσαν, ἀναγκάσαντες ἐν Σαλαμῖνι μετ' αὐτῶν... ναυμαχεῖν (utroque loco Turicenses editores reflexivum reposuerunt. de formis horum pronominum saepissime inter se confusis scripsit Blume in exc. III. ed. Leocr. -- cf. Kuehner § 455, 5.) —

Neglegenter Lycurgus formam αὑτοῦ adhibet, ubi

[1]) Omnino genetivos ἑαυτοῦ, τούτου, ἐκείνου Lycurgus plerumque (quindeciens) inter articulum et substantivum ponit, bis tantum articulo iterato post substantivum (§§ 25, 44 τὸ σῶμα τὸ ἑαυτοῦ); semel genetivus praecedit, articulus cum substantivo coniunctus sequitur: § 23 καὶ τούτων τὰς μαρτυρίας (quia h. l. τούτων ['etiam horum'] effertur atque opponitur eis, quae praecedunt).

subtilior ratio primam reflexivi personam flagitaret, § 94 *παρ' ὧν γὰρ τὴν ἀρχὴν τοῦ ζῆν εἰλήφαμεν...., εἰς τούτους....μὴ τὸν αὐτῶν* (exspectas *τὸν ἡμῶν αὐτῶν*) *βίον καταναλῶσαι μέγιστον ἀσέβημά ἐστιν* cf. Bernhardy p. 273, ubi plurali pronominum numero, non item singulari, attribuendam esse hanc licentiam docemur; Matthiae § 489, II.

Pronominis reciproci (*ἀλλήλων*) loco ter ponit orator reflexivum: § 80 *πίστιν ἔδοσαν αὐτοῖς ἐν Πλαταιαῖς πάντες οἱ Ἕλληνες*, § 127 *παρακελεύεσθε ὑμῖν αὐτοῖς*, § 144 *τῶν ἐν Χαιρωνείᾳ ἑαυτοῖς συμπαραταξαμένων*. quam licentiam haud ita raram esse docent Bernhardy (p. 273) et Kuehner (§ 455, 8). cf. etiam Schneider ad Isocr. IX, 53.

Ad mediam verbi formam abundantia quadam additur reflexivum § 42 *ἐδεῖτο...ἐπικουρίαν αὐτῷ μετα πέμψασθαι*. § 44 *παρέσχετο ἑαυτὴν* (sc. *ἡ ἡλικία*) *εἰς τὴν....σωτηρίαν*. § 70 *αὐτοῖς ἔμελλον πορίζεσθαι* (sc. *τὴν σωτηρίαν*) (cf. Isocr. V, 145. Demosth. VIII. 23. Aeschin. III, 89). § 141 *παῖδας καὶ γυναῖκας παρακαθισαμένους ἑαυτοῖς τοὺς δικαστὰς δικάζειν*. cf. Bernhardy p. 347. Krueger § 52, 10 adn. 10. quae pronomina per oppositionem plerumque cum vi quadam adiecta sunt; velut § 42 haec fere ratio est: 'cum antea ceterae civitates Atheniensium opem implorassent, iam eo erant ipsi (Athenienses) redacti, ut sibi auxilia a ceteris peterent.' accedit, quod, ubi talia inveniuntur, plerumque ipsius medialis verbi notio obscurata esse ac paene evanuisse videtur.

Pronomina demonstrativa.

Saepe Lycurgus, ubi *αὐτός* sufficeret, gravius pronomen *οὗτος* usurpat: § 3 *ὠφέλιμόν ἐστι τῇ πόλει εἶναι τοὺς κρίνοντας ἐν ταύτῃ* (*αὐτῇ* h, Reiske. *ἐνταῦθα* Corais). § 117 *ποιήσαντες στήλην ἐψηφίσαντο εἰς ταύτην*

ἀναγράφειν. § 126 ἔγραψαν εἰς τὴν στήλην, καὶ ταύτην ἔστησαν κτλ. — § 87 οἱ δὲ Πελοποννήσιοι τοῦτον μὲν ἀπέδοσαν, γνόντες δὲ ὡς...., ἀπεχώρησαν, ubi orator haud dubie propter contrarium γνόντες δὲ (i. e. αὐτοὶ δὲ γνόντες) pronomen τοῦτον posuit. — de § 88 ὑπὲρ ἧς.. ἐσπούδαζον, δικαίως ταύτην..ἐκληρονόμουν cf. Rehdantz ad h. l. exempla aliorum attulerunt Foertsch[1]) ad Lysiam, Schoemann ad Isaeum (edit. p. 229). usurpant oratores ibi potissimum οὗτος pro αὐτός, ubi aliquid de reo vel in universum de ea persona, de qua agitur, pronuntiant, quo usu efficere volunt, ut de nulla alia persona vel causa cogitent ei qui audirent, nisi de ipsa ea, de qua disputatur. apud Lycurgum autem fluxit hoc dicendi genus ex eodem augendi et amplificandi studio, quo etiam substantiva repetere eum, ubi pronomen exspectas, deprehendimus (p. 23).

Saepius etiam orator οὗτος ponit, ubi nullo omnino pronomine opus est, quo efficiat, ut res satis distincte et accurate indicatae iterum animis auditorum obiciantur. fieri hoc solet

a) praecedentibus participiis: § 27 τὸν προδόντα ἐν τῷ πολέμῳ, σιτηγήσαντα δὲ παρὰ τοὺς νόμους, μὴ φροντίσαντα δὲ...., τοῦτον ἔχοντες...οὐκ ἀποκτενεῖτε; §§ 35, 82, 117, (131), 145. cf. Isocr. IV, 36. Demosth. VI, 22. VIII, 56. XLII, 15 etc. — ceterum etiam ante participium (per prolepsin quae dicitur) hoc pronomen cum vi quadam poni demonstravit Morus in ed. Isocr. Panegyr. p. 13 (ed. Spohn. Lips. 1831).

b) praecedente enuntiatione relativa: § 25 τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα, ἃ....οἱ πρόγονοι παρέδοσαν αὐτῷ., ταῦτα μετεπέμψατο. §§ 42 (v. p. 27), 46, 93, 127, 136. quem usum consentaneum est ibi praesertim

---

[1]) Observationes critícae in Lysiae orationes, Lips. 1827 p. 68 sq.

inveniri, ubi, quia verbosius est enuntiatum relativum, perspicuitatis causa demonstrativum ponatur necesse est. exempla aliorum, velut Demosth. IX, 19. XXIII, 36 exscribere nil expedit. — etiam hic praemittitur interdum pronomen § 27 [§ 68 *οὐκ ἔστι τοῦτο προδιδόναι, εἴ τις ᾤχετο:* enuntiatum hypotheticum vicem tenet relativi enuntiati].

Pro *τοσοῦτος* ponitur *οὗτος* frg. 96 *ὅσοι τοῖς ἀγαθοῖς..χρῶνται, τούτοις πολέμια τὰ εὐτυχήματά ἐστιν.*

Denique adfero plurativum numerum *ταῦτα* adhiberi, quamquam non spectat nisi ad unam sententiam, § 12 *Δεῖ...μηδὲ ταῦτα λαθεῖν ὑμᾶς, ὅτι οὐχ ὅμοιός ἐστιν ὁ ἀγών.* § 27 *καὶ περὶ τούτων οἱ ὑμέτεροι νόμοι τὰς ἐσχάτας τιμωρίας ὁρίζουσιν, ἐάν τις Ἀθηναίων ἄλλοσέ ποι σιτηγήσῃ.* pertinet huc etiam sollemnis illa formula *καὶ ταῦτα* („und zwar"): § 32 *Ἀλλὰ τούτους ὁ Λεωκρ. παραδοῦναι ἔφυγε καὶ ταῦτα οὐκ ἀλλοτρίους κτλ.* en exempla ap. Rehdantz. ind. Demosth. II. s. v. Neutrum.

Atque haec quidem hactenus. videamus iam, quomodo Lycurgus pronomen demonstrativum cum substantivis coniunxerit.

Rarum utique genus dicendi statuendum est § 79 *ἕκαστος ταύτην πίστιν δίδωσιν,* et § 80 *ταύτην πίστιν ἔδοσαν,* sed quod utroque loco optimo codice (Crippsiano A) nitatur. quod ita fere explicandum esse videtur, ut pronomen demonstrativum quasi subiectum esse enuntiati, substantivum praedicati vim habere dicas. valde miror Thalheimium inconstanter priore loco *ταύτην τὴν πίστιν,* posteriore *ταύτην πίστιν* scripsisse. — ceterum § 9 consentiunt codices in simillimo usu dicendi *τούτῳ κανόνι χρωμένους* i. e. 'hac (lege) ut regula s. norma usos'.

Pronomen indefinitum

redundanter ponitur § 95: *τοὺς μὲν οὖν ἄλλους..., ἕνα δέ τινα τῶν νεωτέρων,* ubi Kuehner (§ 470, 3) *ἕνα* pro

appositione habet; sed falso, ut puto; nam *ἕνα* opponitur verbis *τοὺς οὖν ἄλλους* (sc. *πάντας*) atque res est gravissima. § 86 *ἑτέραν τινα χώραν*, § 135 *ὁποῖοί τινες*. — observanda est denique pronominis indefiniti inter genetivos substantivi et adiectivi collocatio § 92: *τῶν ἀρχαίων τινὲς ποιητῶν*. cf. Demosth. VI, 8. XIX, 230. Isocr. V, 76. Aeschin. III, 196.

Pronomen relativum.

Grandiori generi dicendi Latinorum magis proprio attribuendum est, quod pron. relat. *ἀσυνδέτως* repetitur cumulatis iam relativis § 15..*διὰ..τὴν ἀπαγγελίαν, ἣν ἐποιήσατο...πρὸς...τοῖς ἐπιδημοῦσιν ἐκεῖ, οἳ...ἀπήγγελλον...ἃ. ἀκηκόεσαν. οἳ ἴσασιν κτλ.* qui usus inter oratores maxime Dinarcho in deliciis est: Din. I, 9. 46. II, 4. III, 18. Demosth. XLV, 49.

De usu illo pronominis relativi cum breviloquentia positi, qui invenitur § 56 *ὃ καὶ πάντων γένοιτ' ἂν ἀτοπώτατον* (sc. *τοῦτ' ἔστιν*), *εἰ...ἀπολύσετε κτλ.* et § 82 *ὃ καὶ πάντων ἂν εἴη δεινότατον, τοὺς προγόνους..τολμᾶν κτλ.*, plura verba facere supersedeo, quoniam de hoc genere dicendi iam Bernhardy (p. 297), Rehdantz (Leocr. § 56), Bremi (ad Isocr. Panegyr. § 124), accurate egerunt, omnesque fere oratores Attici id frequentant. hoc tantum addam fortasse ad eundem usum pertinere verba § 51, quae corrigenda esse multi editores putarunt[1]): *καὶ δι' ἃ οὐκ ἀλόγως ἐπετήδευον, ἐπίστασθε, ὦ Ἀθηναῖοι, μόνοι..τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τιμᾶν.* etenim hoc quoque loco supplenda esse videntur verba *ταῦτ' ἔστιν* (post *ἐπετήδευον*). — cf. (Ps.) Andoc. IV, 16.

Ex tritiore relativi usu, quo pro *εἴ τις* infertur (Bernh. p. 291, 1), explicanda est structura satis singularis § 9: *ὅσα δὲ μὴ σφόδρα περιείληφεν..., μείζω δὲ*

---

[1]) v. Rehdantz. append. I. ad h. l.

τούτων τις ἠδίκηκεν, κτλ., ita ut εἰ, quod pronomine ὅσα (= εἴ τινα) continetur, etiam in altero membro subaudiendum sit.

Quod ad attractionem pronominis relativi attinet, quantum ex E. R. Schulzii[1]) dissertatione intellexi ipseque examinavi, hoc constitui potest, Lycurgum saepius attractionem, ubi decuit, neglexisse, quam adhibuisse. commemoratu hand scio an dignus sit hic locus: § 26 οἷς παρ' ὑμῶν ἐξεκομίσατο χρήμασιν ἀφορμῇ χρώμενος κτλ. — attractionis correlativorum forma τοσούτῳ-ὅσῳ pro τοσούτῳ-ὅσον a plerisque oratoribus usurpata (cf. Schulze l. c. p. 16) non magis utitur Lycurgus quam Isocrates, quem hac quoque in re secutus esse videtur: Lyc. § 131 τοσούτῳ δ'ἂν δικαιότερον οὗτος ἀποθάνοι...., ὅσον οἱ μὲν εἰς τὴν πόλιν ἥκουσιν μαχούμενοι κτλ. (sed. § 30, 116 τοσοῦτον — ὅσον). Isocr. I, 4. XI, 19. 32. XIII, 20. XVI, 36. — v. Krueger § 48, 15 adn. 10 et 11. § 51, adn. 5. Schneider ad Isocr. I, 4. — reliqua v. ap. Schulzium l. c.

Haud ita raro videntur adhibita esse apud oratores pronomina ὅς et ὅστις (post οὕτως) pro ὥστε, velut § 39 τίς ἦν οὕτως ἢ μισόδημος τότε ἢ μισαθήναιος, ὅστις ἐδυνήθη ἂν κτλ; § 69 τίς δ'οὕτως φθονερός ἐστιν..., ὃς οὐκ ἂν εὔξαιτο κτλ; exemplis huius usus a Rehdantzio (s. v. ὅς) in Demosth. oratt. Philipp. indice altero adlatis adde Dinarch. I, 93. — indicat autem ὅσ(τις) in his exemplis non gradum, ut ὥστε, sed proprietatem („demgemäss er —, als ein welcher er —"). — quem usum Latinae linguae familiarissimum esse constat. — cf. Bernh. p. 293.

Pronomen ἄλλος

redundat § 67 μόνος τῶν ἄλλων πολιτῶν, et § 102

[1]) 'De attractionis pron. relativi ap. oratt. Atticos. recentiores usu et formis' progr. gymn. Budiss. 1882.

μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν quod breviter dicitur pro *μόνου* (sc. *Ὁμήρου*), *καὶ οὐδενὸς τῶν ἄλλων ποιητῶν* i. e. 'Homeri solius neque ceterorum cuiusquam poetarum.' exempla collegerunt Rehdantz ad § 67 (append. II.) et Frohberger ad. Lys. XIV, 7 et in append. (p. 141).

Restat, ut nonnulla addamus

de iota demonstrativo

quod vocant (*ἰῶτα δεικτικόν*) quoniam pronominibus potissimum adiungitur[1]. quod iota (semper accentu notatum) revocatur ad res vel personas, quae aut adsunt aut tamquam praesentes finguntur. quae cum ita sint, praeter comicos et Platonem in dialogis, apud quos ut communi sermoni conveniens persaepe invenitur, ex oratoribus iudicialis maxime generis auctores eo utuntur, quippe qui pronominibus sic formatis adversarios quasi digitis monstrent. quo fit, ut Lycurgus magis frequentet huiusmodi vocabula quam Isocrates (exempla comparavit Hofmeister l. l.). quodsi Lycurgum cum reliquis oratoribus comparas, medium quiddam sequitur: Hofmeister, qui (l. l.) octo exempla apud eum inveniri adfirmat, fragmentorum nullam rationem habuisse videtur, quae si comprehenderis, novem efficientur; sexiens enim Lycurgus *οὑτοσί* habet (reum monstrans, § 25, 30, 38, 52, 59; § 2), bis *νυνί*, (frg. 41. § 23), semel *οὑτωσί* (§ 32). quod ad collocationem *οὑτοσί* pronominis attinet, plerumque postponitur a scriptoribus: Lycurgus totiens praemittit (§ 2, 25), quotiens postponit (§§ 38, 52)[2].

---

[1]) Hofmeister, 'de iota demonstr.' diss. inaug. Hal. Sax. 1877, quater quintam partem exemplorum pronominibus attribuendum esse computavit.

[2]) cf. Scheibe 'comment. crit. de Isaei oratt. Progr. d. Vitztum. Gymn. Dresd. 1859. p. 9. — Franke 'lectiones Aeschin.' Philol. I. Suppltbd. 1860. p. 468. — Cobet 'de arte interpretandi' Lugd. Batav. 1847 p. 95, si *οὗτος* articulo carens nomini proprio adiungatur, semper *οὑτοσί* scribendum esse censet.

Verbum.

I. De generibus verbi.

Eiusdem verbi παρέχειν forma mediali promiscue cum activa utitur Lycurgus, neque interest ullum notionis discrimen: § 43 τὸ σῶμα παρασχόντα τάξαι cf. §§ 57, 77, 147; sed § 23 ἐκεῖνον αὐτὸν παρειχόμην cf. §§ 44, 102, 146.

Similiter Lycurgum sibi non constare in usu verbi, quod est καταψηφίζειν, docebunt duo exempla: § 10 τοῦτον νῦν κολάσετε κατεψηφισμένοι perfectum κατεψήφισμαι medialis formae καταψηφίζεσθαι (i. e. 'damnare') significationem adscivit ('postquam damnavistis eum'); contra § 54 ἃ δὴ κατέγνωσται μὲν —, κατεψήφισται δὲ —, ὁμολογεῖται δὲ κτλ. potestas passiva inest perfecto κατεψήφισται ('condemnatio facta est') ad analogiam praecedentis pf. κατέγνωσται. — haud secus perfecto διαπέπραγμαι passivi notio inest § 15 ἔργα ἐναντιώτατα τοῖς τούτῳ διαπεπραγμένοις, alibi semper fere[1]) activi, non solum apud Lycurgum (§§ 90, 134), verum etiam apud reliquos.

II. De temporibus verbi.

A. De tempore praesenti.

Positum est praesens tempus

a.) pro aoristo § 112 αἰσθανόμενος ὁ δῆμος τὸ γεγονὸς τούς τε εἱρχθέντας ἐξῆγε, qua licentia Graeci sexcentiens utuntur, ac ne nos quidem talia respuimus („als d. Volk erfuhr . . . ., führte es . . . heraus“). cf. exempla a Trentepohlio ad Aeschinem (l. l. p. 55) collecta.

In sententiis § 112 εὗρε (sc. ὁ δῆμος) τὸν Φρύνιχον

---

[1]) si exceperis Lys. I, 38 εἰ μὲν μηδενὸς γεγενημένου . . ., εἰ δὲ . . . . πάντων διαπεπραγμένων. Eurip. Hel. 1177. Lucian. Toxar. c. 44.

προδιδόντα (pr. A. *προδόντα*, quod Morus recepit) *τὴν πόλιν*, et § 113 *ὅπως ἂν μὴ κέηται ἐν τῇ χώρᾳ μηδὲ τὰ ὀστᾶ τοῦ ..προδιδόντος* (pr. A *προδόντος*) fuerunt qui putarent participium verbi *προδιδόναι* in eorum numero habendum esse, quae conatum, inceptum significant.* (cf. Blume ad § 112 [p. 136 ed.]). quae tamen explicatio ab horum locorum ratione plane aliena est, cum de Phrynicho iam mortuo agatur. Immo urgetur Phrynichum non proditionem parasse, sed vere prodidisse urbem ac proinde proditorem esse; etenim demonstrare vult orator, *ὡς ὠργίζοντο* (sc. *οἱ πρόγονοι*) *τοῖς προδόταις* (§ 111); igitur *προδιδόντα* h. l. idem est ac *προδότην ὄντα*: 'invenit plebs proditorem esse Phrynichum' (ac similis est condicio § 113). qua de consuetudine et Graecorum et Latinorum scriptorum propria accurate egit Kuehner § 382, 3 et 4. — idem fere iudicandum est de § 19 *ὃν καὶ ὑμῶν ἴσασιν οἱ πολλοὶ κατηγοροῦντα τούτου ἐν τῷ δήμῳ*, § 116 *ὡς οὐδὲν ἀδικοῦντα ἀφήσετε* (cf. Trentepohl l. l. p. 58), atque de participiis passivis: § 30 *τῶν λεγομένων ἄν τι ἠρνήθησαν*, § 53 *ὁ δῆμος δεινὸν ἡγησάμενος εἶναι τὸ γιγνόμενον* (idem fere ac *τὸ πρᾶγμα*) *ἐψηφίσατο κτλ.* § 150 *ἀναμνησθέντες τῶν κατηγορουμένων.* minime igitur opus est coniectura Bekkeri, qui § 36 *γενομένων* pro *λεγομένων* scribi vult (quamquam nihil frequentius esse concedo syllabis *λεγ* — et *γεν* — inter se confusis), ac ne *κατηγορουμένων* (§ 150) quidem in *κατηγορημένων*, quod in cod. Crippsiano exstare de Boor (A^n) adfirmat (v. Thalheim. praef. p. V.), mutaverim. cf. Andoc. I, 8. Antiph. IV, *δ*, 3. — ceterum quantum inter se differant saepe in talibus singulorum codicum lectiones, Maetzner ad h. l. (§ 150) exemplis nonnullis illustrat. — cf. Kuehner § 382, 4 e). Rehdantz ad. § 30 et § 150.

b) pro perfecto verbi *ἀκούειν* positum est praesens permultis locis: § 29 *Ἀκούετε, ὦ ἄνδρες, τῆς προ-*

κλήσεως. §§ 37, 115, 121. cf. Bernhardy p. 370. Kuehner § 382, 4. a. — perfectum ponitur § 25: *τῶν μὲν μαρτύρων ἀκηκόατε.*

c) pro futuro § 149 *ἕκαστον χρὴ νομίζειν τὸν Λεωκράτους ἀποψηφιζόμενον θάνατον τῆς πατρίδος... καταψηφίζεσθαι.* cuius generis rationem exposuit Bremi in exc. VIII. ad Lysiae et Aeschin. oratt. selectas (Gotha 1826) p. 445.

Praesens historicum in tota Leocratea expedire non potui nisi duobus locis: § 85 *τί ποιοῦσιν οἱ πρόγονοι;* § 113 *καὶ ψηφίζεται ὁ δῆμος* (alibi semper *ἐψηφίσατο* in talibus dixit Lycurgus: §§ 16, 114, 121, 125).

B. De imperfecto.

Ex usu imperfecti quod dicitur conatus in enuntiato § 125: *ἐψηφίσαντο γὰρ καὶ ὤμοσαν, ἐάν τις τυραννίδι ἐπιθῆται ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ ἢ τὸν δῆμον καταλύῃ, τὸν αἰσθανόμενον καθαρὸν εἶναι ἀποκτείναντα* explicanda esse videntur *προδιδῷ* et *καταλύῃ.* perperam autem locum hunc intellexisse videntur ei, qui spreta librorum manuscriptorum auctoritate etiam *ἐπιθῆται* in *ἐπιτιθῆται* mutandum esse censuerunt. etenim verba *προδιδόναι, καταλύειν, ἐπιτίθεσθαι* ita inter se differunt, ut in postremo hoc verbo per se insit notio insidiandi ac proinde conandi, cum duo illa hanc notionem non per se contineant, ita ut imperfectum hanc vim inferat necesse sit (cf. Kuehner § 382, 6.).

Aliquanto difficilius explicatu est imperfectum *ἀπήγγελλεν* § 18, in quo interpretando non consentiunt viri docti. Rehdantz sic explicat „d. Imperfekt steht oft bei Handlungen, wenn deren fortdauernde Wirkung angedeutet werden soll.“ paulo aliter Blume (Lyc. orat. in Leocr. Sundiae 1828. p. 71) 'crebram nuntiationis

repetitionem[1]), qua Leocrates male sibi conscius fugae ignominiam et turpitudinem obtegere studuerit', aptissime significari imperfecto existimat. Kuehner (§ 383, 3) denotari putat talibus imperfectis res parvas et adiunctas (Nebenumstände). denique Godofredo Bernhardyo (p. 372) hoc imperfectum videtur esse „d. reine Relation auf gleichzeitige Umstände." — iam ut, quid mihi videatur, aperiam, proxime ad verum accesserimus, si etiam hoc imperfectum de conatu intellegemus: „er suchte eifrig d. Kunde zu verbreiten, suchte d. Leute glauben zu machen," qua interpretatio cognata est cum Blumii, quam commemoravi, sententia. — pertinent huc etiam imperfecta ἀπήγγελλεν § 19 et ἐξήγγελλε § 85 ab optimis codicibus exhibita, quae ego quidem exemplis antea adlatis nixus cum Maetznero et Thalheimio retineo: alii, velut Rehdantz, § 85, cum plurimi libri ἐξήγγελε praebeant, aoristum ἐξήγγειλε in textum receperunt.

C. De futuro.

Futurum apud Graecos ibi quoque locum habet, ubi significari vult scriptor rem aut personam aptam, idoneam, propensam esse ad efficiendum aliquid. sic § 101 ἐνδεικνύμενος (sc. Εὐριπίδης), ὅτι, εἴπερ αἱ γυναῖκες τοῦτο τολμήσουσι ποιεῖν, τούς γε ἄνδρας ἀνυπέρβλητόν τινα δεῖ τὴν εὔνοιαν... ἔχειν: quaeritur non de re eventura, sed quae iam evenerit et ab Euripide ipso carmine (§ 100) celebrata sit (verto 'si modo mulieres ad audendum hoc propensae s. paratae fuerunt'), § 130 ὁ γὰρ φόβος ἀναγκάσει... τοὺς κινδύνους ὑπομένειν ('idoneus est metus... ad cogendum...'), ubi exspectaveris praesens. — similiter fere iudicandum est de § 133 κακοὶ γάρ... οἱ

[1]) quae explicatio quadrat in § 15: οἱ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περιπλέοντες... ἀπήγγελλον.

τοιοῦτοι τῶν ἀνθρώπων εἰσίν, οἳ τῶν μὲν ἀγαθῶν... μεθέξουσιν, ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις οὐδὲ βοηθείας ἀξιώσουσιν, ubi non tam temporis ratio ob oculos oratoris versatur, quam agentis personae indoles ac voluntas („Leute, die fähig sind, teilzunehmen ...., die teilnehmen wollen....“), et § 139 *καίτοι τινὲς αὐτῶν οὐκέτι... ὑμᾶς παρακρούσασθαι ζητοῦσιν, ἀλλ' ἤδη ταῖς αὐτῶν λειτουργίαις ἐξαιτεῖσθαι τοὺς κρινομένους ἀξιώσουσιν* (cf. Bernhardy p. 377. Schoemann. ad. Isae. VIII, 13. p. 386). — haud secus § 31 *τὰ χωρία ταῦτα, ἐν οἷς τοὺς παραλογισμοὺς ποιήσονται* universe definitur genus eorum locorum, quibus talia fieri possint („solche Orte, an denen sie d. Trugschlüsse machen können“), id quod Latini coniunctivo exprimunt. quam futuri vim notabile est participio potissimum tribui, velut § 4 *οὔθ' ὁ νόμος οὔθ' ἡ τῶν δικαστῶν ψῆφος ἄνευ τοῦ παραδώσοντος αὐτοῖς τοὺς ἀδικοῦντας ἰσχύει,* cuius loci simillimi sunt hi: Isae. II, 12. Lys. XXIV, 6. Isocr. XIX, 29. Demosth. XX, 74. (cf. Bernhardy p. 318), quamquam ne praesens quidem respuitur: § 54 *ἐλαχίστους ἕξετε τοὺς... κινδυνεύοντας.* cf. Antiph. II, γ, 11. Isocr. VIII, 39. Demosth. XLII, 15. XXIV, 143. itaque *κινδυνεύοντας* cum Bekkero in *κινδυνεύσοντας* mutandi nulla est necessitas. accedit, quod verbo *ἕξετε* futuri vis iam satis superque expressa est.

Adiungamus § 51 *εὑρήσετε δὲ παρὰ μὲν τοῖς ἄλλοις.... ἀθλητὰς ἀνακειμένους, παρ' ὑμῖν δὲ κτλ.* quo futuri genere saepissime videtur usus esse Isocrates (IX, 3. 13. 70. X, 21.), qui etiam rationem huius usus optime exponit, cum dicit XV, 308: *εὑρήσετε...., ἢν ἐξετάζητε.* cf. Bernhardy p. 378. Kuehner § 387, 3.

Cohortandi vel imperandi vis subiecta est futuro *λογιεῖσθε* § 67: *τὸν αὐτὸν τοίνυν τρόπον κολαστέον ἐστὶ τοῦτον... καὶ οὐ τοῦτο λογιεῖσθε, εἰ εἷς ἐστι μόνος ὁ ἄνθρωπος κτλ.,* etenim praecedente *κολαστέον* exspectas

concinnitatis causa *λογιστέον*. sed ideo Lycurgus futurum posuisse videtur, quia etiam sperare sese et confidere profitetur officium suum Athenienses non neglecturos esse.

§ 56 *εἰ ἀπολύσετε* post *ὃ καὶ πάντων γένοιτ' ἂν ἀτοπώτατον* quin recte Lycurgo attribuatur, nullo modo potest dubitari; immo frequentare hanc licentiam optimum quemque scriptorem ostendunt exempla, quae collegerunt Bernhardy p. 386 et Hartung „Lehre von d. Partikeln d. griech. Sprache." II. t. Erlang. 1833. p. 257. nulla igitur causa Dobree, Baiter, alii spreta librorum auctoritate *ἀπολύσαιτε* maluerunt.

Quantum laboris viri docti consumpserint in sanandis verbis § 9 *διὰ τὸ μὴ ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδὲν μήτε ἐν τοῖς μέλλουσιν ἐπίδοξον εἶναι γεγενῆσθαι ὡς μήτε κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν ἀξίαν,* vix dici potest. reiciendum esse et totum secundarium enuntiatum *ὡς...... ἀξίαν,* quippe quo moleste repetatur sententia proximae paragraphi (§ 58), et alterum perfectum *γεγενῆσθαι,* hodie Taylore praeeunte omnibus quod sciam persuasum est praeter unum Reichium (Breslauer Gymnas. Progr. 1844), qui *γεγενῆσθαι* illud genuinum esse arbitratus sic interpretatur locum: „weil in den früheren Zeiten dergleichen nicht verübt worden war, und auch in den Zeiten, die da kommen mussten (nicht ausbleiben konnten), kein Argwohn stattfand, dass so etwas geschehen sei." quam explicationem prorsus reconditam ut reiciamus, suadet hoc ipsum, quod omnis contentio atque comparatio eorum, quae perfecta, cum eis, quae futura esse dicit Lycurgus (*ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις..., ἐν τοῖς μέλλουσιν..*) plane deleretur. interpretes alii *γενέσθαι* scribi voluerunt (conferentes Isocr. VI, 8, Aeschin. III, 165. Herod. I, 89. Plat. Theaet. 143, D. Rhetor. ad Alex. c. 29. — etiam post *μέλλειν* aoristi infinitivum posuerunt Andoc. I, 51

Antiph. I, 14. Isae. III, 26. Aeschin. I, 128.), alii praesens aut futurum; nec potest dubitari, quin vulgares fuerint post eiusmodi verba infinitivi praesentis et futuri (v. Fuhr. Rh. Mus. 33 [1878] p. 575 sq.); atque id post μέλλειν in universum vetustiores oratores infinitivum futuri, recentiores (etiam Isocr. cf. VII, 47. XX, 12. ep. IV, 6.) praesentis praetulisse videntur.[1]) quamquam non sum nescius G. Hermannum (opusc. III, 42) futuri infinitivum cum verbo μέλλειν coniungi omnino negasse. Lycurgus exceptis duobus locis (§§ 32, 67) infinitivum praesentis adhibuit (quindeciens). quae cum ita sint, quidni etiam post ἐπίδοξον εἶναι, aeque ac post μέλλειν, praesentis infinitivum usurpatum fuisse statuamus? nisi forte infinitivus h. l. omnino redundat. nam optime e praecedente infinitivo γεγενῆσθαι per zeugma quoddam suppleri potest γενήσεσθαι vel γίγνεσθαι. cuius zeugmatis ratione non perspecta librarius nescio quis iteravit perfectum γεγενῆσθαι. quodsi Maetzner huius usus exempla exstare negat, hoc respondeo: sane post ipsa verba ἐπίδοξον εἶναι non saepius invenitur haec structura (cf. tamen Hippocr. p. 770 e), sed haud scio an soli casui hoc tribuendum sit; post simillima autem μέλλειν, προσδόκιμον εἶναι, alia, saepius infinitivus omittitur: Isocr. XII, 103. IV, 136. X, 26. Demosth. ep. IV. (p. 1487 ed. Reisk.) — (Thucyd. I, 14. Herod. I, 78. V, 108. Xenoph. Anab. II, 5, 5.)

Utique rarus et ab optimis scriptoribus alienus est infinitivus futuri post παρασκευάζεσθαι, qui exstat § 76 παρασκευασάμενος οὐδὲν ποιήσειν (cf. Classen. ad Thucyd. II, 18, 1. Herbst. Philol. XXIV. p. 621).

---

[1]) inf. aor. non legitur nisi ap. Lys. XV, 10. (Ps.) Lys. VI, 37. Aeschin. III, 153 agmn.

D. De aoristo.

Post verba, quae futuri notionem in se habent, sc. sperandi,[1]) pollicendi, iurandi praeter infinitivum futuri, qui vulgo ponitur, interdum etiam aoristum inferri docent Bremi exc. VIII. ad Lys. (p. 445), Frohberger ad Lys. XII, 19, Baeumlein Philol. XIX. p. 283 sq. inter quos infinitivos quale intercedat discrimen, subtilius exponunt Bernhardy (p. 383) et Matthiae (p. 950): aoristum praeferre solent scriptores, ubi non tam tempus quam ipsam actionem premere student. quae ratio egregie cadit in § 60 *ἀνθρώπῳ ζῶντι μὲν ἐλπὶς (ἐστιν) ἐκ τοῦ κακῶς πρᾶξαι μεταπεσεῖν, τελευτήσαντι δὲ πάντα συναναιρεῖται,* quo loco hoc premitur: hominem omnino, quoad vivat, aliquando liberari posse malo, mortuum non. cf. Lys. XIX, 8. Isocr. IV, 141. Demosth. I, 12. IV, 2. IX, 5. XXIII, 106.

Saepenumero aoristum poni, ubi nos plusquamperfecto utimur, notum est (cf. Matthiae § 497 adn.) huic igitur generi adnumero § 17 *ᾤχετο φεύγων, οὔτε τοὺς λιμένας...ἐλεῶν, ἐξ ὧν ἀνήγετο, οὔτε τὰ τείχη...αἰσχυνόμενος, ὧν τὴν φυλακὴν ἔρημον τὸ καθ' αὑτὸν μέρος κατέλιπεν,* ubi immerito ad similitudinem imperfecti *ἀνήγετο* scripserunt nonnulli editores *κατέλειπεν.* minime enim ut eiusdem temporis res inter se opponuntur *ἀνάγεσθαι* et *καταλείπειν,* quoniam, cum vela in altum daret Leocrates neque moenia patriae veritus neque misericordia portuum captus, urbem iam dereliquerat.

Non minus subtiliter distinguuntur singulorum temporum rationes § 4 *πρῶτον ἡ τῶν νόμων τάξις, δεύτερον δ' ἡ τῶν δικαστῶν ψῆφος, τρίτον δ' ἡ τούτοις τἀδικήματα παραδοῦσα κρίσις,* ubi Bekker iubet scribi *παραδιδοῦ-*

---

[1]) pertinent huc etiam verba *οἴεσθαι* (Antiph. V, 85. Lys. XII, 19. XIII, 53. Isocr. VIII, 29. Demosth. IL, 3), *ἡγεῖσθαι* (Lys. XXVI, 1), *νομίζειν* similiaque notione sperandi adhibita.

σα: immerito; perversum enim, quod ad temporis rationem attinet, secundi et tertii membri ordinem Lycurgus quasi corrigit aoristo *παραδοῦσα* indicans accusationem (*κρίσις*) iudicio (*ψῆφος*) praecedere. ceterum rectum observat ordinem in eis, quae secuntur: *ὁ νόμος —, ὁ κατήγορος —, ὁ δικαστής —*·

E. De Perfecto.

§ 76 *εἰ μὲν ὀμώμοκε Λεωκράτης, φανερῶς ἐπιώρκηκε....., εἰ δὲ μὴ ὀμώμοκεν, εὐθὺς δῆλός ἐστι παρασκευασάμενος κτλ.* scribitur in codice Crippsiano A.— *παρασκευασμένος,* quam formam nihili esse luce clarius est, in Laurentiano (B), Marciano (L), Ambrosiano (P), *παρεσκευασμένος* in ceteris. editores alii perfecti, alii aoristi patrocinium susceperunt. ego quidem malim *παρεσκευασμένος,* quia hoc Lycurgum dicere voluisse suspicor: 'simulatque non iurasse Lycurgum constat, statim paratus iam diu esse....apparet'. accedit, quod 'paratus esse apparet' (*δῆλός ἐστι παρεσκευασμένος*) respondet verbis, quae ante dixit 'periurus esse apparet' (*φανερῶς ἐπιώρκηκε,* quod idem est ac *δῆλός ἐστιν ἐπιωρκηκώς*).

F. De variatis temporibus.

I. Exordium sumamus ab eis exemplis, ubi transitus fit ab aoristo in imperfectum aut ab imperfecto in aoristum.

§ 133 *οὐδεμία πόλις αὐτὸν εἴασε....μετοικεῖν, ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ἀνδροφόνων ἤλαυνεν.* haec fere sententia esse videtur: 'nulla unquam urbs habitare eum passa est secum, sed, quocunque veniebat terrarum, (ubique) expellebant eum.'

Aliam intercedere rationem apparet in hoc exemplo: § 21 *ἐπειδὴ χρόνος ἐγένετο καὶ ἀφικνεῖτο...πλοῖα* i. e. 'cum temporis aliquid praeteriisset et advenirent naves.'

Contrarium transitum § 112: *τούς τε εἰρχθέντας ἐξῆγε καὶ...ἀνέκρινε, καὶ ζητῶν τὸ πρᾶγμα εὗρε* sic explico, ut dicam aoristo *εὗρε* quasi summam sive eventum totius inquisitionis significari. — quo ab exemplo differt nec tamen plane dissimile est hoc: § 65 *οὐδὲ τὸν μὲν...ἀπέκτεινον* (Corrais corr. libri praebent *ἀπέκτειναν*), *τὸν δὲ...ἐκόλαζον, οὐδὲ τὸν μὲν...ἐζημίουν, τὸν δὲ...εἶργον. ἀλλ' ὁμοίως ἐπὶ πᾶσι...παρανομήμασι θάνατον ὥρισαν εἶναι τὴν ζημίαν*, ubi aoristo tota maiorum consuetudo in fine enuntiati comprehenditur.

Immerito spreverunt editores traditam in optimis libris A et B scripturam § 52 *τοὺς φεύγοντας τὴν πατρίδα καὶ ἐγκαταλιπόντας τότε τοῖς πολεμίοις*, scribendo aut *φεύγοντας..καὶ ἐγκαταλείποντας* aut *φυγόντας ...καὶ ἐγκαταλιπόντας*, quorum neutrum, si cum cura persecutus eris loci rationem, necessarium esse cognosces. per figuram enim quam vulgo appellant *ὕστερον πρότερον* dicta sunt haec verba pro *τοὺς ἐγκαταλιπόντας...καὶ φεύγοντας*: 'qui reliquerant tum patriam hostibus et exules s. in fuga erant.'

II. Progediamur iam ad eos locos, ubi transitur a b   a o r i s t o   i n   p e r f e c t u m   ant   a   p e r f e c t o   i n   a o r i s t u m.

§ 5 *εἰδὼς Λεωκράτην φυγόντα μὲν τοὺς...κινδύνους, ἐγκαταλιπόντα δὲ τοὺς...πολίτας, προδεδωκότα δὲ πᾶσαν τὴν ὑμετέραν δύναμιν*: aoristi *φυγόντα* et *ἐγκαταλιπόντα* denotant singula criminis momenta, perfectum summam totius, crimen ipsum, ita ut *ὁ προδεδωκώς* (i. e. is qui prodidit) paene idem valeat atque *ὁ προδότης*. — ceterum idem fere cadit in participia imperfecti et perfecti iuxta posita § 5 *ἐμβάλλοντα καὶ...μετέχοντα, τῆς τε πατρίδος ὄνειδος γεγενημένον* (v. Bernhardy p. 379).

Sed ne in his quidem exemplis ubique indagare potui causam transitus conspicuam, velut § 43 *τὸν οὐδὲ*

συμπενθῆσαι τὰς..συμφορὰς τολμήσαντα, οὐδὲ συμβεβλημένον οὐδὲν εἰς τὴν...σωτηρίαν. § 139 εἴ τις τετριηράρχηκε λαμπρῶς ἢ τείχη τῇ πατρίδι περιέβαλεν ἢ πρὸς τὴν...σωτηρίαν...συνευπόρησε.

III. Transitum a futuro in praesens animadvertas § 63: Ἴσως οὖν...τολμήσει τις εἰπεῖν...καὶ οὐκ ..αἰσχύνονται, et contrarium § 139 οὐκέτι ζητοῦσιν..., ἀλλ ἤδη....ἀξιώσουσιν (quod futurum quid valeret, exposui p. 46).

IV. Durior et in quo nullum notionis duorum temporum discrimen appareat est transitus ab optativo aoristi in indicativum futuri § 144: καὶ τίς...... τῶν μὲν...τελευτησάντων παρανοίας καταγνοίη, τὸν δὲ καταλιπόντα...ἀφήσει; sed sicut coniunctivus dubitativus s. deliberativus (v. Kuehner § 394, 5 adn. 3), ita etiam optativus in futuri indicativum interdum transit cf. Antiph. I, 4 Dinarch. I, 66. cf Kuehner § 396 adn. 1. — accedit quod nostro loco orator quasi transit ad sequentis enuntiati futurum ἐξουσίαν ἄρα δώσετε κτλ., quod per acerbam quandam ironiam dictum est.

Iam quaestione de variatis temporibus ad finem perducta si summam facimus, satis magnam fuisse in hoc genere dicendum est Lycurgi licentiam, qua nescio an orationi aliquid suavitatis addere voluerit.

III. De modis verbi.

A. Indicativus.

Utique depravatum esse indicativum post ὅταν § 107: ὅταν...ἐκστρατευόμενοί εἰσι, καλεῖν ἐπὶ τὴν...σκηνήν hodie constat inter omnes. sed ne ei quidem, qui coniunctivum ἐκστρατευόμενοι ὦσι reposuerunt, sanasse locum mihi videntur, quia rarissima est eiusmodi circumlocutio, ut omittam, quae alii coniecerunt (v. Rehdantz append. I. ad h. l.). neque vero G. Hermannum secutus et ὅταν

et *εἰσι* ut ab interprete nescio quo adiecta deleverim; immo sic forte scripsit orator: *ὅταν.... ἐκστρατεύωνται, ἐπικαλεῖν ἐπὶ τὴν...σκηνήν.* quae coniectura neque nimis audax est et generi dicendi oratoris optime convenit: nam primum composita verba pro simplicibus in deliciis esse Lycurgo vidimus p. 12; deinde eundem praepositiones persaepe iterare docent multa exempla, velut § 11 *εἰς ὑμᾶς εἰσιέναι,* § 22 *ἀπὸ τούτου...ἀποδοῦναι τὰ ὀφειλόμενα,* § 82 *ἐμμένειν ἐν ὅρκῳ,* § 88 *ἀντὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας...ἀντικαταλλάττεσθαι.*

B. Coniunctivus.

Consecutionem temporum, quali scriptores Graeci uti solent, non diligenter servasse Lycurgum liceat mihi hic exemplis aliquot demonstrare.

§ 26 *οἱ πατέρες ὑμῶν...τὴν πατρίδα προσηγόρευον Ἀθήνας, ἵν' οἱ τιμῶντες τὴν θεὸν τὴν...πόλιν μὴ ἐγκαταλίπωσιν:* videtur hic quasi transire oratio a praeterito tempore ad praesens, quod saepius fieri post particulas consilium indicantes, velut *ἵνα, ὅπως, ὡς,* docuit Poppo ad Thucydidis locos nonnullos, velut ad I, 73, 1. cuius licentiae haec causa esse videtur, quod *προσηγόρευον τὴν πατρίδα Ἀθήνας* idem valet ac *προσαγορεύεται ἡ πατρὶς Ἀθῆναι.* cf. Kuehner § 553, 3.

Magis etiam ignoscemus oratori, quod neglecta vulgari temporum consecutione scripsit § 16 *ἐψηφίσατο ὁ δῆμος....τοὺς στρατηγοὺς τάττειν εἰς τὰς φυλακὰς τῶν Ἀθηναίων...καθ' ὅ τι ἂν αὐτοῖς δοκῇ,* quia non solum multa verba interiecta sunt inter praeteritum *ἐψηφίσατο* et coniunctivum (*ἂν*) *δοκῇ,* sed etiam ex ipso Atheniensium decreto illo tempore facto haec sententia (*τοὺς στρατηγοὺς.....δοκῇ*) ad verbum descripta esse videtur, quod omnibus locis, ubi plebiscita vel talia citantur, accidere solet: § 37 *καταβαίνειν...ἔδοξε καὶ πράττειν ὅ τι ἂν δοκῇ.* § 114 *ἐψηφίσαντο δὲ καὶ ἐὰν ἀπολο-*

γῶνταί τινες κτλ. § 121 *ἐψηφίσαντο ἐάν τις...ἁλίσκηται.* § 125 *ἐψηφίσαντο ἐάν τις ἐπιθῆται κτλ.*

Non praetereundum mihi esse puto locum in § 63 *οὐ μανία δήπου τοῦτο λέγειν ὡς οὐδὲν ἂν γένηται παρὰ τοῦτον,* quia hic coniunctivus c. *ἂν* nullo modo teneri potest. ex eis, qui hunc locum sanare conati sunt, Maetzner mihi fidem fecit scribendo *ὡς οὐδὲν ἂν ἐγένετο,* ob id ipsum, quia haud dissimiliter supra legitur *ὡς οὐδὲν ἂν παρ' ἕνα ἄνθρωπον ἐγένετο.* quae igitur ibi adiutores (*συνήγοροι*) Leocratis excusantes inducuntur, ea repetuntur hic ab oratore interdum verboso mutatis tantummodo verbis *παρ' ἕνα ἄνθρωπον* in verba magis definita *παρὰ τοῦτον* (sic enim lego, non *παρὰ τοῦτο,* propter ea quae secuntur *παρὰ τοῦτον εἶναι τῇ πόλει τὴν σωτηρίαν*).

C. Optativus.

In transcursu commemoro usurpare Lycurgum semper optativi aoristi formas in — *ειας,* — *ειε* terminantes: §§ 43, 49, 60, 66, 77, 91, 99, 100, 119, 144. ergo ob hanc solam causam reiciendum est § 90 *ὑπομεῖναι,* quod vulgo legebatur. neque enim credibile est oratorem, cuius una oratio deciens formas in — *ειε,* — *ειας* terminantes praebeat, semel hanc formam (*ὑπομεῖναι*) adhibuisse. omnino apud oratores illas optativi formas praevaluisse docet Franke (Philol. I. Suppltbd. 1860 p. 452), etiamsi in Demosthene fluctuetur inter utramque scripturam. utique ab Isocrate plane alienae sunt formae in *αι* terminantes.

Non nimis studuisse Lycurgum hypotheticarum enuntiationum concinnitati his exemplis (praeter ea, quae iam supra citavimus) efficitur: § 66 *εἴ τις ἕνα νόμον... ἐξαλείψειεν, εἶτ' ἀπολογοῖτο......, ἆρ' οὐκ ἂν ἀπεκτείνατ' αὐτόν;* transit orator in medio enuntiato ad irrealem quam dicimus rationem hypotheticam, puto, ut

indicet se non sperare talia (crimina) unquam commissum iri apud Athenienses. contrarium fere accidit § 56 *ὃ καὶ πάντων γένοιτ' ἂν ἀτοπώτατον, εἰ.... ὑμεῖς ἀπολύσετε*, ubi timor incidere videtur oratori, ne iudices reum absolvant. cf. Hartung 'Lehre von d. Partik. d. gr. Spr.' II. p. 257. Bernhardy p. 386. quam licentiam non novam, sed optimo cuique scriptori interdum probatam esse exemplis, quae suppeditat Rehdantz in indice Demosth. citato (s. v. 'Indicativ'), efficitur. — *εἰ* c. indic. praes. in protasi et optat. c. *ἂν* in apodosi coniunguntur: § 77 *τίνα δ' ἂν τρόπον ὅπλα καταισχύνειέ τις μᾶλλον ἢ εἰ λαβεῖν μὴ θέλει κτλ.* — levioris momenti est transitus ab indic. fut. ad indic. praes. § 126 *εἰ προήσεσθε τοῦτον τὸν καιρὸν..., οὐκ ἔστιν ὑμῖν μετὰ ταῦτα δίκην.... λαβεῖν.*

D. Infinitivus.

De infinitivo, cui articulus praefixus est [1]), iam supra (p. 22) disputavimus. animadvertendum est infinitivo per epexegesin post pronomen demonstrativum posito articulum non addidisse Lycurgum (quamquam haud scio an soli casui hoc tribuendum sit) § 137 *ἐνέγραψα τοῦτο εἰς τὴν εἰσαγγελίαν προδεδωκέναι τὴν εἰκόνα κτλ.* nam plerumque in talibus non omittitur articulus, quamquam ne contraria quidem exempla desunt: cf. Rehdantz, Dem. ind. II. s. v. „artic."

Rarus utique sed quem immerito reiecerint nonnulli est infinitivus *ὑπομεῖναι* (cf. p. 55) § 90 in libris optimis traditus: *ἐπεχείρησεν εἰπεῖν...., ὡς οὐκ ἄν ποτε ὑπομεῖναι τὸν ἀγῶνα τοῦτον.* quem infinitivum teneri posse docent exempla a Kuehnero § 550 adn. 3 adlata. apud oratores haec inveni: Lys. IV, 18. XIII, 9. Isae.

---

[1]) scite de hac re nuperrime egit Birklein „Entwicklungsgeschichte des substant. Infin." Würzburg 1888. („Beiträge zur histor. Syntax d. griech. Spr.") M. Schanz, Heft VII. Bd. III, 1.

VI, 10. (cf. Foertsch. observatt. in Lys. p. 79. Schoemann. ad Isae. p. 327). coaluisse videntur in talibus duae structurae: *εἰπεῖν...., ὡς οὐκ ἂν ὑπέμεινε* et *εἰπεῖν..., οὐκ ἂν ὑπομεῖναι.* ad cuius loci similitudinem aliquam accedit § 96 *λέγεται γὰρ τὸν τόπον ἐκεῖνον περιρρεῦσαι τὸ πῦρ καὶ σωθῆναι τούτους μόνους, ἀφ' ὧν καὶ τὸ χωρίον ἔτι καὶ νῦν προσαγορεύεσθαι τῶν εὐσεβῶν χῶρον.* nam huius quoque usus rationem sic facillime expediemus, ut duas structuras coniunctas esse dicamus: *ἀφ' ὧν...προσαγορεύεται* et *καὶ ἀπὸ τούτων...προσαγορεύεσθαι.* apte conferuntur § 100 *ἡγούμενος κάλλιστον ἂν γενέσθαι...παράδειγμα τὰς ἐκείνων πράξεις, πρὸς ἃς ἀποβλέποντας καὶ θεωροῦντας συνεθίζεσθαι,* et Demosth. XXIII, 193. XLV, 10. — notabile est frequentare hunc usum Latinam linguam.

Activa infinitivi forma pro passiva posita est § 43 *τὸ σῶμα παρασχέσθαι τάξαι,* quod recurrit §§ 57, 78, 147 (Lys. XIV, 7. XXXI, 9. Isocr. XVIII, 47), § 87 *δοῦναι τὸν βασιλέα θάψαι* (Lys. XX, 27), § 93 *ἀπέδωκε κολάσαι τὸν αἴτιον,* § 136 *κατέλιπε* (sc. *τὴν εἰκόνα*) *ἱεροσυλῆσαι καὶ αἰκίσασθαι* (contra § 110 *ταῦτα... μνημονεύεσθαι καλά*) cf. Kuehner § 473, adn. 14. Matthiae § 532 a.

E. Participium.

De participiis substantivorum vice fungentibus v. p. 32). — admodum rara videntur esse haec participia pro substantivis usurpata: § 17 *οὓς αὐτίκα σώσοντας .... ἐπικαλέσεται* § 143 *ἐπικαλέσεται τοὺς θεοὺς σώσοντας αὐτόν κτλ.*

Ex cottidiano usu repetenda sunt ea exempla, in quibus quod ad sententiam gravissimum est non verbo finito, sed participio continetur, velut § 127 *ἐψηφισμένοι ἕξετε.* rarius vero est hoc Lycurgi exemplum: § 73 *οὐ τὸ... τρόπαιον ἀγαπήσαντες ἔστησαν,* pro *τὸ τρόπαιον*

στήσαντες οὐκ ἠγάπησαν[1]) i. e. 'contenti non erant, quod ... tropaeum fixissent' s. 'non acquiescebant parta victoria'.

Sicut non dubitant scriptores Graeci, praesertim in concitata narratione, subito ab obliqua oratione in rectam transire (Leocr. §§ 42, 59, 68, 119), ita Lycurgus a participio paullo insolentius ad verbum finitum transgreditur § 17 *ᾤχετο φεύγων οὔτε.... ἐλεῶν, οὔτε... αἰσχυνόμενος, οὔτε.... ἀφορῶν καὶ προδιδοὺς ἐφοβήθη,* § 100 *ὅτι τά τε ἄλλ' ὢν ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ τοῦτον τὸν μῦθον προείλετο ποιῆσαι.* § 131 *οὑτοσὶ... ἔφυγεν ἰδίᾳ τὴν σωτηρίαν ποριζόμενος, οὐδὲ..... τολμήσας, ἀλλὰ μόνος οὗτος... προδέδωκε.* cf. Bernhardy p. 473.

Haud alienum duco, quoniam quaestionem de nominum ac verborum usu syntactico ad finem perduximus, pauca addere

de subiecto et praedicato.

Vix commemoratu dignum videtur § 87 *ἡ πόλις .... ἔδοσαν,* et § 142 *ἡ πόλις.... ἔθαψαν* plurativum verbi numerum ad collectivi nominis singularem referri. (Bernhardy p. 420. Kuehner § 359, 2. — Bremi, exc. X. ad Isocr.) — eidem generi dicendi, quod vulgo *πρὸς τὸ νοούμενον* s. *σημαινόμενον* appellant grammatici, adnumerandum est illud § 42: *ἐὰν* (sc. *ἡ πόλις*) *ὑπὲρ τῆς αὑτῶν σωτηρίας ἀσφαλῶς δύνηται κινδυνεῦσαι* cf. Dinarch. I, 55 *ἡ βουλὴ... ζητεῖ τὰ γεγενημένα παρ' αὐτοῖς ἀδικήματα.* vid. Bernhardy p. 288 et 294. — quibus ab exemplis differt nec tamen prorsus dissimilis est hic locus: § 19 *τὴν Φυρκίνου μαρτυρίαν, ὃν καὶ ὑμῶν ἴσασιν οἱ πολλοὶ κατηγοροῦντα τούτου ἐν τῷ δήμῳ ὡς καὶ μεγάλα βεβλαφὼς εἴη* (Sauppe corr.) *εἴη τὴν πεντηκοστὴν*

---

[1]) ad similitudinem horum: Isocr. XII, 8 *οὐκ ἀγαπῶ ζῶν ἐπὶ τούτοις*, Demosth. VII, 6 *τὰ ἐν τῇ θαλάττῃ χωρία ἀγαπῶσι,..., λαμβάνοντες.* cf. Sluiter l. c. p. 125.

μετέχων αὐτοῖς:[1]) unus Phyrcinus nominatur ante, post plures (αὐτοῖς), ex quorum numero ille est

Ad numerum propioris duorum subiectorum revocatur verbum § 33 μὴ ἐκ τῆς αὐτῆς οἰκίας οἵ τ' ἐξελέγχοντες...καὶ ὁ ἐξελεγχόμενος γένηται § 79 οἱ παῖδες καὶ τὸ γένος ἅπαν....περιπίπτει. cf. Demosth. XIX, 42. Aeschin. II, 81.

Sequitur ut de liberiore numerorum permutatione dicatur. ac primum quidem fit

a.) transitus a singulari in pluralem § 63 τῶν συνηγόρων τις τολμήσει....καὶ οὐκ αἰσχύνονται, ubi facillime ex genetivo τῶν συνηγόρων suppletur ad alterius sententiae verbum (αἰσχύνεσθαι) οἱ συνήγοροι.

b.) a plurali in singularem § 55 πρῶτον μὲν γὰρ οὐκ ἐκ τῆς ἀκτῆς κατὰ τὴν πυλίδα ἐμβαίνουσιν οἱ κατ' ἐμπορίαν πλέοντες, ἀλλ'....ἔπειτα οὐ μετὰ τῆς ἑταίρας καὶ τῶν θεραπαινῶν, ἀλλὰ μόνος μετὰ παιδός (sc. ἐμβαίνει). § 60 ἐκ μὲν τοῦ κακῶς πράττειν τὰς πόλεις μεταβολῆς τυχεῖν ἐπὶ τὸ βέλτιον εἰκός ἐστιν, ἐκ δὲ τοῦ παντάπασι γενέσθαι ἀνάστατον[2])...στερηθῆναι: postquam in universum de urbibus dixit orator, subito ob oculos versatur ei ipsa urbs (cf. supra τὴν πόλιν....ἀοίκητον ἂν γενέσθαι) Atheniensium.

Denique etiam ipsa subiecta in incitata narratione durius mutantur § 16 ἐψηφίσατο ὁ δῆμος παῖδας μὲν καὶ γυναῖκας....κατακομίζειν, τοὺς δὲ στρατηγοὺς τάττειν εἰς τὰς φυλακὰς τῶν Ἀθηναίων....καθ' ὅ τι ἂν αὐτοῖς δοκῇ: prioris sententiae subiectum est ὁ δῆμος, posterioris

---

[1]) quamquam non sum nescius codicem Oxoniensem N, quem Blass summi omnium pretii esse contendit (Ind. philol. IV. 124 sq.), praebere αὐτῆς. sed iure, puto, alii illum codicem unice sequendum esse negant; utique ad finem haec quaestio nondum perducta est (cf. Thalheim in praef. edit. Leocr. p. VII.)

[2]) singularem ferendum esse negat Frohberger, Philol. vol. 29 (1870) p. 629.

τοὺς στρατηγούς. § 25 *ἐκ τῆς πατρίδος αὐτὰ* (sc. *τὰ ἱερὰ πατρῷα*) *κινήσας συμφεύγειν αὐτῷ ἐκλείποντα τοὺς νεὼς .... ἠξίωσε, καὶ ἱδρύσασθαι ἐπὶ ξένης καὶ ἀλλοτρίας, καὶ εἶναι ὀθνεῖα*: *αὐτὰ* nomen subiectum est infinitivorum *συμφεύγειν* et *εἶναι* (*ὀθνεῖα*), cum infinitivi *ἱδρύσασθαι* subiectum sit *Λεωκράτης*, quod nomen subintellegi debet e verbo *ἠξίωσε*.

De praepositionibus.

Priusquam ad singulas accedamus praepositiones tractandas, adferre liceat pauca, quae ad universum praepositionum usum spectant.

Praepositio in altero membro posita, in altero subintellegenda est § 14 *οὐχ ὅμοιός ἐστιν ἀγὼν περὶ τούτων καὶ τῶν ἄλλων ἰδιωτῶν* § 114 *οὐ μόνον ὑπὲρ τῆς αὑτῶν πατρίδος, ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς Ἑλλάδος*. exempla oratorum haud ita multa collegit Rehdantz in indice saepius citato s. v. 'praeposition.'

De iterata praepositione *εἰς* § 129 *εἰς αὐτὸ τοῦτο τὴν τιμωρίαν τάξαντες, εἰς ὃ μάλιστα φοβούμενοι τυγχάνουσιν.* haud scio an sic optime iudicemus: sollemnem neque insolentem attractionis relativi structuram adhibuit orator (*τὴν τιμωρίαν τάξαντες εἰς ὃ μαλ. φοβ. τυγχ.* pro ... *εἰς τοῦτο, ὃ μαλ. φ. τ.*) oblitus, quae est eius festinatio, demonstrativi (*τοῦτο*) iam positi. cf Isocr. XII, 68 *οὐκ ἐκ τούτων ἔφερον, ἐξ ὧν αὐτοὶ διέσωσαν* IV, 140 Demosth. VIII, 26. *ἀφ' ὧν ἀγείρει καὶ προσαιτεῖ καὶ δανείζεται, ἀπὸ τούτων διάγει.* Aeschin. I, 154 *ἐκ τίνων ἐστὶν ἐπιτηδευμάτων; ἐκ τούτων ἐξ ὧν αὐτὸν πράξαντα ἀπαγορεύουσιν οἱ νόμοι μὴ δημηγορεῖν* (v. Bernhardy p. 203). neque enim adsentior Sauppio et Rehdantzio, qui *εἰς* per se cum *φοβεῖσθαι* coniungi posse existimant, quia unus ille quem adferunt Sophoclis locus (Oed. R. v. 980 *σὺ δ' εἰς τὰ μητρὸς μὴ φοβοῦ νυμφεύματα*) sufficere mihi non videtur ad demonstrandum etiam pedestri orationi (quan-

tumvis singula verba Lycurgum ex poetarum genere dicendi repetivisse vidimus) hoc licitum fuisse.

In exponendo iam singulorum praepositionum usu eum observabo ordinem, ut primum dicam de eis praepositionibus, quae unum casum regunt, deinde de eis, quae cum duobus, denique de eis, quae cum tribus casibus coniungi possunt.

I.

A. De praepositionibus cum solo accusativo coniunctis.

εἰς.

Exemplorum in quibus principalis et nativa praepositionis *εἰς* notio, i. e. loci, ad quem actio sive motus aliquis derigitur, servata fere est, haec adnotatu digna esse videntur: § 11 *εἰς ὑμᾶς εἰσιέναι* 'ad vos sc. in iudicium s. ad vos iudices venire' (quocum apte conferentur Isocr. XX, 22 *ἀναβὰς εἰς ὑμᾶς λεγέτω.* Demosth. XLI, 7 *εἰς ὑμᾶς κατέστην* etc.), § 2 *εἰς τὸν ἀγῶνα καθίστημι* sc. *τὸν προδόντα,* § 6 *εἰς τὰς κοινὰς κρίσεις καθιστάναι* (*τοὺς.. μηδὲν ἀδικοῦντας*).

Paullo uberius dicendum est de § 85 *κατακλεισθέντες ἐπολιορκοῦντο καὶ διεκαρτέρουν εἰς τὴν πατρίδα,* quae verba propter rariorem dicendi rationem num teneri possint, Bekker, Rehdantz (append. II.) alii vehementer dubitant. sed traditae lectionis mutandae necessitas mea quidem sententia nulla est neque *εἰς* praepositio (id quod Rehdantz vult) cum *κατακλεισθέντες* coniungenda est. immo subest verbo *διακαρτερεῖν* aliquid significationis verborum *ἀναλίσκειν, δαπανᾶν* similiumque hoc loco: quicunque *διακαρτερεῖ* i. e. perpetitur aliquid, vires, operam, curam consumit in illa re. quoniam autem verba illa semper fere etiam a Lycurgo cum praepositione *εἰς* coniunguntur (§ 46 *εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν.... τὰς ψυχὰς αὑτῶν ἀνάλωσαν.* § 94 *εἰς τούτους...τὸν αὑτῶν βίον κατ αναλῶσαι* — [cf. Demosth. IV, 35. III, 28. VIII, 54.

etc.], § 44 *παρέσχετο ἑαυτὴν εἰς τὴν...σωτηρίαν*), quidni etiam *διακαρτερεῖν* significatione „für, zum Vorteil" cum *εἰς* ab oratore copulatum fuisse statuamus!

Haud secus atque hoc, quem modo tractavimus, loco, *ἐν* exspectamus pro *εἰς* etiam § 55: *ἀπεδήμησεν εἰς Ῥόδον.* sed haud ita rara verba *ἀποδημεῖν* et *ἐπιδημεῖν* (nec minus *παρεῖναι, παραγίγνεσθαι* alia cf. Krueger ad Xenoph. Anab. I, 2, 2.), etsi proprie ponuntur de eis, qui commorantur alicubi (velut Leocr. § 14 *τοῖς ἐπιδημοῦσιν ἐκεῖ,* Aeschin. III, 128 *ἐπιδημοῦντος ἐν Μακεδονίᾳ Φιλίππου*), tamen cum praepositionibus adverbiisque (loci) copulantur, quae ad motum spectant. cf. Aeschin. III, 258 *ἐπιδημήσαντα εἰς τὴν πόλιν.* II, 154 (omn. codd. praeter B.) *ἐπιδημῶν...εἰς τὴν πόλιν.* (Ps.) Demosth. LIX, 37 *ἐπιδημήσαντα...τουτονὶ εἰς τὰ Μέγαρα.* [Aristoph. Ran. v. 48. Lucian. Toxiar. c. 27.].

A locali hac notione prope abest notio finis, ad quem tendit aliquis. quod dicendi genus quamquam latissime patet, tamen rarius praepositio *εἰς* verbo carens substantiva coniungit, velut § 72: *τοὺς εἰς τὴν ἐλευθερίαν ὅρους.* — pertinet huc etiam § 129 *εἰς αὐτὸ τοῦτο τὴν τιμωρίαν τάξαντες* i. e. 'in ipsa hac re poenam ponentes' s. 'ad illud ipsum poenam statuentes,' quod Rehdantz germanice reddit „darauf mit ihrer Strafbestimmung zielend, darauf ihre Str. richtend." cf. Lutz „die Präpositionen bei d. attisch. Rednern" bair. Schulprogr. 1887, II. — quo ab exemplo differunt nec tamen prorsus dissimilia sunt Demosth. XXII, 55 *εἰς τὰ σώματα ποιεῖσθαι τὰς τιμωρίας,* Aeschin. II, 139 *τὰ εἰς τὸ σῶμα τιμήματα.*

Sequitur § 67 *οὐ τοῦτο λογιεῖσθε, εἰ εἷς ἐστί μόνος ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' εἰς τὸ πρᾶγμα,* ubi excidisse aliquid, velut *ἀποβλέπετε,* vel mente supplendum esse fuerunt qui opinarentur. sed haud scio an verba *εἰς τὸ πρᾶγμα* aptius referantur ad praegressi enuntiati imperativum *λογιεῖσθε*

(cf. p. 47), ita ut notio „in Hinsicht, mit Rücksicht auf“ subsit praepositioni εἰς; quare recte mihi videtur Rehdantz vertisse: „sondern eure Rechnung wird auf die Sache gerichtet sein.“ — similiter dixerunt Antiph. VI, 9. Lys. XX, 17. Demosth. LVII, 7 *λέγειν εἰς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα,* Aeschin. III, 197 *τοῖς εἰς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα λέγουσιν.*

Denique § 139 *εἰς τὸν ἴδιον οἶκον αὐτὰς* (sc. *τὰς λειτουργίας*) *περιποιησάμενοι* i. e. 'suae ipsorum domui (ut lucrum) illas (liturgias) acquirentes' praepositione *εἰς* usus est Lycurgus, ubi eodem iure *πρός* ponere potuit; cf. Isocr. XVI, 32 *τὰς μὲν... λειτουργίας.... πρὸς τοὺς πολίτας εἶναι, τὰς δὲ.... εἰς ἅπασαν τὴν Ἑλλάδα γίγνεσθαι.*

ὡς

particulam, quam Aeschines maxime frequentat (v. Trentepohl l. c, p. 39, qui tamen errat, cum putat apud Demosthenem nunquam omnino *ὡς* praepositionis loco adhiberi: immo legitur apud eum IV, 48. VII, 9. VIII, 35. XIX, 316), usurpat Lycurgus semel tantum modo: § 27 *ἐάν τις ἄλλοσέ ποι σιτηγήσῃ ἢ ὡς ὑμᾶς.*

B. De praepositionibus cum solo dativo coniunctis.

ἐν.

Pro locativo *Μαραθῶνι* (Isocr. IV, 91. V, 147. contra VIII, 38) *ἐν Μαραθῶνι* legitur § 104 *οἱ γοῦν ἐν Μ. παραταξάμενοι.* ceterum vicinitatem in talibus denotari constat. cf. § 16 *τῆς ἐν Χαιρωνείᾳ μάχης,* § 70 *ἐν Σαλαμῖνι.. ναυμαχεῖν.* § 73 *τὸ ἐν Σαλαμῖνι τρόπαιον.* v. Bernhardy p. 207. Kuehner § 431, 1, c.

Ad localem hanc praepositionis *ἐν* notionem proxime accedunt haec exempla: § 19 *ἐν τῷ δήμῳ* ('coram populo' = 'ad populum') *κατηγορεῖν,* § 117 *τὴν ἐν τῷ δήμῳ κρίσιν,* quem usum quamquam non omnino respuunt oratores (Isocr. XVII, 29 *τοὺς ἀγῶνας τοὺς ἐν ὑμῖν.* Demosth.

VIII, 27 *οἱ κατηγοροῦντες ἐν ὑμῖν*. id. XXIV, 134. Aeschin. III, 224 *ἐν ἅπασιν Ἀθηναίοις ἐξελεγχθείς*. Hyper. or. III, 35, 16 (ed. Blass) *ἐν τῷ δήμῳ.... ἐξήλεγξα*. II, 3, 7 *ἐν τῷ δήμῳ... ᾐτιάσαντο*), tamen in talibus *παρὰ* cum dativo et *πρὸς* cum dativo aut accusativo praeferre videntur. — ad similitudinem aliquam horum exemplorum accedunt § 141 *ἐν ὀφθαλμοῖς ὄντες καὶ ὁρώμενοι* (quam locutionem poeticam esse Kuehner § 431 p. 403 adfirmat), § 142 *ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀναστρέφεσθαι* ('in conspectu, ante oculos alcs') cf. Aeschin. II, 158 *ἐν ὑμῖν ἀναστρέφεσθαι*..

Solent oratores dicere et *ἔν τινι γίγνεται* (s. *δίδοται*) *ἔλεγχος* Demosth. XLVII, 16. IL, 55) et *ἔκ τινος γίγνεται ἔ*. (Demosth. XLVII, 39. IL, 56); Lycurgus *ἐν* usurpat § 30: *ἐν τοῖς οἰκέταις..... τὸν ἔλεγχον γενέσθαι*.

Redundanter praepositio *ἐν* addita est § 82 *ἐμμένειν ἐν τούτῳ* sc. *τῷ ὅρκῳ*, quia hic fere est usus Graecorum, ut sensu translato omittant in talibus *ἐν*, proprio sensu ponant. nec tamen ideo cum nonnullis interpretibus *ἐν* prorsus reiecerim. an putamus tam anxie certam normam servasse Lycurgum, quem omni aequabilitate orationis neglecta id tantum studuisse constet, ut quantacunque posset ubertate gravitateque diceret? certe plenior illa iteratae praepositionis structura (v. p. 12) magis huic studio convenit. — ceterum ne Demosthenes quidem aut Isocrates *ἐν* in talibus plane respuunt: Isocr. VII, 43 *ἐν μόνοις ἂν τούτοις* (sc. *τοῖς καλοῖς ἐπιτηδεύμασι*) *ἐμμέναι* Demosth. XL, 39 *ἐν τοῖς γνωσθεῖσιν ἐνέμεινε*.

Nil mirum est neglegentia librariorum haud raro factum esse, ut confunderentur inter se praepositiones *ἐν* et *ἐπ(ί)*. sic § 52 *ἡ ἐπ' Ἀρείῳ πάγῳ βουλή* quin depravatum sit ex *ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴ* (cf. § 12 *τὸ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ συνέδριον* — quod recurrit ap. Dinarch. I, 112), nullo modo dubitari potest. etenim legitimae

formulae et quasi usu sanctae sunt ἡ βουλὴ ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ (velut ap. Demosth. XX, 157. Aeschin I, 81. III, 20. (Ps) Demosth. LIX, 80); ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλή (Lys. XII, 69. XXVI, 11, 12.), ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου (sic plerumque scribunt Demosth. Aeschin. Hyperid.), ἡ ἐξ Ἀρείου π. β. (invenitur potissimum ap. Isocr. et Dinarch.) — ex altera parte praepositio ἐν valde vereor ne stare non possit hoc loco: § 39 ὀρθὴ δὲ ἦν ἡ πόλις ἐν τοῖς συμβεβηκόσιν, quamquam Kuehner (§ 431 p. 403) patrocinium eius suscepit. immo vero ἐπὶ h. l. cum Bekkero ac plerisque editoribus reponendum esse non solum efficitur consuetudine Graecorum, qua post adfectuum verba ἐπὶ ponunt, sed suadet, ut sic sribamus, etiam locus Isocratis simillimus: V, 70 τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν ὀρθὴν οὖσαν ἐφ' οἷς σὺ τυγχάνεις εἰσηγούμενος.

Ad similitudinem eius significationis, quae inest praepositioni ἐν § 27 ἔχοντες ἐν τῇ ὑμετέρᾳ ψήφῳ (i. e. 'ac ne est quidem in potestate vestra habentes ad condemnandum et absolvendum')[1]) etiam § 52 οὐδ' ἐν ὑμῖν ἐστίν (i. e. 'ac ne est quidem in potestate vestra' s. 'ne stat quidem per vos') dictum esse puto. sic enim cum Tayloro scribendum mihi videtur pro librorum lectione οὐδὲν ὑμῖν ἐστίν. cf. Antiph, I, 22 ἐν ὑμῖν τοῦτό ἐστιν ὀρθῶς διαγνῶναι. V, 89. Andoc. III, 41 τούτων δ' ἐστὶν τὸ τέλος παρ' ὑμῖν, ἀλλ' οὐκ ἐν Λακεδαιμονίοις. Lys. I, 34 ἐν ὑμῖν ἐστίν, πότερον χρή κτλ. Demosth. XXI, 227 πάντ' ἐστὶν ἐν ὑμῖν...διαπράξασθαι. quae exempla supervacaneum esse ostendunt, quod Bekker coniecit, οὐδ' ἐφ' ὑμῖν ἐστίν, ut omittam Reiskii coniecturam οὐδ' ἔνεστιν ὑμῖν.

Loco praepositionis σύν, qua cum plerisque oratoribus nunquam utitur Lycurgus nisi in compositis, usur-

---

[1]) idem valet atque id, quod dicit § 2 ἔχοντας ὑπὸ τῇ ψήφῳ τὸν προδότην, et § 115 ὑποχείριον ἔχοντες τῇ ψήφῳ.

patur *μετά*. composita autem illa verba aut cum solo dativo, velut § 25 *ταῦτα* sc. *τὰ ἱερά....συμφεύγειν αὐτῷ ἠξίωσεν*, § 50 *συνετάφη τοῖς τούτων σώμασιν ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερία*, § 144 *τῶν ἑαυτοῖς συμπαραταξαμένων*, aut cum *μετά*, velut § 131 *συνατυχοῦντες μετὰ τῶν ἄλλων πολιτῶν* (cf. Trentepohl l. c. p. 32), semel cum *πρός* — § 68 *πρὸς τὸ αἴσχιστον συμβαλεῖν* — couiunguntur.

C. De praepositionibus cum solo genetivo coniunctis.

ἀπό

in circumlocutione semel tantummodo invenitur: § 79 *τὴν ἀπ᾽ αὐτῶν τιμωρίαν* pro usitatiore *παρά* (v. p. 74.). Ubi de stirpe et origine agitur, velut § 105: Leocrateae *τοῖς ἀφ᾽ Ἡρακλέους γεγενημένοις*, praepositione *ἀπὸ* pro *ἐκ* primus Isocrates usus esse videtur. cf. Jsocr. V, 33 *τοῖς ἀπ᾽ ἐκείνου γεγονόσιν*· Demosth. XX, 18 et 29. Dinarch. I, 63. — v. Lutz l. c. sub praepos. *ἀπό*.

Causa indicatur § 96 *λέγεται.... σωθῆναι τούτους μόνους, ἀφ᾽ ὧν καὶ τὸ χωρίον.... προσαγορεύεσθαι τῶν εὐσεβῶν χῶρον.*

ἐκ, ἐξ

saepe usurpat Lycurgus in circumlocationibus, velut § 4 *τοῖς ἐκ τῶν νόμων ἐπιτιμίοις,* qua locutione subtilius, quam si diceretur *τοῖς νομίμοις ἐπιτιμίοις*, denotantur poenae, quae quodammodo e legibus prodeunt itaque ad earum normam deriguntur; § 8 *ἀναγκαῖον ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμιον*, § 34 *τῆς ἐκ τῶν νόμων τιμωρίας*. cf. Demosth. XIX. 70 *τὴν ἐκ τοῦ νόμου ταυτηνί* sc. *τὴν ἀράν*. ibid. 281 *τὴν ἐκ τῶν νόμων δίκην*, XVIII, 13. XXI, 166 Aeschin. III, 175 *τὰς ἐκ τῶν νόμων ζημίας*.

Mutationi status significandae serviunt praepositiones *ἐκ* et *ἐπί:* § 60 *ἐκ μὲν τοῦ κακῶς πράττειν τὰς πόλεις μεταβολῆς τυχεῖν ἐπὶ τὸ βέλτιον εἰκός ἐστιν*. deest alterum membrum paulo infra: *ἐκ μὲν τοῦ παντάπασι γενέσθαι*

ἀνάστατον καὶ τῶν κοινῶν ἐλπίδων στερηθῆναι. ὥσπερ γάρ,... ἐλπὶς ἐκ τοῦ κακῶς πρᾶξαι μεταπεσεῖν κτλ. § 61 καὶ ἐκ τούτων ὅμως ἀμφοτέρων ἠλευθερώθημεν (cf. Andoc. II, 10 πολιτείας καὶ διαίτης, ἐξ ἧς δευρὶ μετέστην).

Ad causam et rationem, ubi potius διά c. acc. aut solum dativum exspectas, revocatur ἐκ § 35 τὸν τὴν ἐξουσίαν τῆς ἀπολογίας αὐτοῦ ἐξ ἄλλων τε πολλῶν καὶ ἐκ τοῦ μὴ δέξασθαι τὰ δίκαια περιῃρημένον.

Notatu utique dignum est, quod § 62 Μεσσήνην.... ἐκ τῶν τυχόντων ἀνθρώπων συνοικισθεῖσαν praep. ἐκ cum verbo mere passivo coniungitur. neque enim alius quisquam oratorum sic locutus est praeter Isocr. VI, 57 οὐ μόνον ἐξ ἡμῶν ἐλέγχονται, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτοὶ οἱ ἐπίτροποι διαπεπραγμένοι εἰσίν, et Antiph. II, δ, 1 τῶν ἐξ ἐμοῦ πραχθέντων. contra familiaris erat hic usus Ionibus ac tragicis Atticis; proinde haud scio an hunc quoque usum ex poetarum sermone repetivisse Lycurgum recte suspicemur. cf. Kuchner § 430, 2, 2, c. Bernhardy p. 228. — De

ἕνεκα

nil habeo, quod adnotem, nisi quod § 37 ἕνεκα τοῦ βουλεύεσθαι paulo insolentius praepositio haec ante nomen ponitur. cf. Isocr. XV, 163. Demosth. III, 14. Aeschin. II, 150, 167. III, 240, 246.

πρό.

Digna, quae commemoretur, est localis notio § 86 φρύγανα συλλέγειν πρὸ τῆς πόλεως, quae alibi haud ita frequentatur (cf. Lutz l. c. p. 60).

Nobatile est id quoque, quod § 107 πρὸ τῆς πατρίδος ἀποθνήσκειν dicitur pro solito ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθνήσκειν usu non solum apud oratores Atticos (exemplum non inveni nisi Demosth. XIV, 4 τοῖς πρὸ αὐτῶν καὶ μετ᾽ αὐτῶν ἐκεῖνον ἀμυνομένοις), verum etiam apud alios scriptores rarissimo. v. Bernhardy. p. 232.

II.

De praepositionibus, quae cum duobus casibus coniunguntur.

διά.

1. cum genetivo.

Ex nativa notione sc. spatii, quod percurritur, ad quam proxime accedit § 17 διὰ τῆς πυλίδος ἐξελθών, manasse videtur locutio διὰ τέλους ἀκοῦσαι § 16 i. e. usque ad finem (omni, quod interpositum est, spatio relicto) s. constanter audire.' cf. Andoc. I, 9. Lys. XIX, 11. Isocr. XV, 17. VIII, 17; quibus adde exempla, quae collegit Lutz l. c. p. 64.

Pro δι' ἀπορρήτων § 85 consueverunt dicere Attici ἐν ἀπορρήτοις s. ἐν ἀπορρήτῳ (velut Andoc. I, 45. II, 19. Lys. XIII, 21). invenitur tamen illud etiam apud Aeschin. III, 96. (Ps) Demosth. LIX, 79.

Praepositione διά et cum genetivo et cum accusativo coniuncta significari causam, qua aliquid efficitur, notissimum est. sed non prorsus eadem subest vis praepositioni διά cum genetivo atque cum dativo coniunctae. apud Lycurgum quidem, si quid video, hoc discrimen obtinetur, ut cum secundo casu copuletur praepositio tum, cum persona vel res aliqua est causa efficiens facinoris seu status alicuius. quod liceat mihi exemplis illustrare: § 60 τελευτήσαντι συναναιρεῖται πάντα, δι' ὧν ἄν τις εὐδαιμονήσειεν: non dicit orator δι' ἅ, quia loquitur de ipsis sensibus, de mente, denique de omnibus, quae per se hominem, quoad vivat, reddant beatum. — idem iudicandum est de fragm. 70 οὐ γὰρ ὅσιον τοὺς γεγραμμένους νόμους, δι' ὧν ἡ δημοκρατία σώζεται, παραβαίνειν. — ex altera parte διά

2. cum accusativo

coniungi solet, ubi non ipsa causa denotatur, sed culpa, meritis, interventu alicuius aliquid effici significatur. sic culpa indicatur § 9 οὐ διὰ ῥαθυμίαν ....., ἀλλὰ διὰ

τό[1]) *μήτ' ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδέν*, (sc. *παρεῖσθαι τὴν ὑπὲρ τῶν τοιούτων τιμωρίαν συμβέβηκεν*), § 14 *ἐπιφανής τε γάρ ἐστιν* (sc. *ὁ Λεωκράτης*) *διὰ τὸν ἔκπλουν τὸν εἰς Ῥόδον κτλ.* § 18. § 67 *τοῦτον... διὰ τοῦτο μείζονος τιμωρίας ἄξιον εἶναι*, § 82 *τὴν... εὔκλειαν διὰ τὴν τῶν τοιούτων ἀνδρῶν πονηρίαν καταλυομένην*, § 91 *διὰ ταῦτα δίκην δίδωσι*; merita indicantur § 135 *διὰ τί ποτε τοῦτον ἀξιώσουσιν ἀποφυγεῖν; πότερον διὰ τὴν πρός αὐτοὺς φιλίαν*; sed longum est exscribere omnia huius generis exempla: §§ 5 (bis), 6, 10 (bis), 58 (bis), 102 (*διὰ τὴν συντομίαν* i. e. 'ob brevitatem'), 126, 137, fragm. 53.

Proxime abest ab hac notione notio finis: § 15 *τὴν οἰκουμένην περιπλέοντες δι' ἐργασίαν* i. e. 'quaestus causa', ubi *ἕνεκα* c. gen. exspectaveris. v. Kuehner § 434 ad fin.

Denique modus ac ratio, qua aliquid fit, significatur § 116 *δι' ὀργὴν μᾶλλον ἢ δι' ἀλήθειαν ἐποιήσαντο.* — pro *δι' ὀργὴν* saepius dici solet *δι' ὀργῆς*, atque etiam solus dativus in talibus usu venit. sic apud ipsum Lycurgum loco quem modo citavimus (§ 116) verbis *δι' ὀργὴν μᾶλλον ἢ δι' ἀλήθειαν* in altero eiusdem sententiae loco opponitur dativus *φύσει* ipse quoque rationem ac modum indicans (*φύσει πᾶσι τοῖς τοιούτοις ἔργοις ἐπολέμουν*).

κατά

1. c. gen.

Per circuitionem dictum est § 140 *τὴν κατὰ τῶν προδιδόντων τιμωρίαν*, pro breviore locutione *τὴν τῶν προδιδόντων τιμωρίαν*· cf. Aeschin. III, 223 *τὰς κατὰ σαυτοῦ τιμωρίας*. Demosth. XVIII, 274 *τιμωρίαν κατὰ τούτου.* — contra brevitati tribuendum est, quod legitur fragm. 75 *τροπαίου κατὰ τῆς πόλεως ἑστηκότος* pro *τρο-*

---

[1]) eundem in modum causalis enuntiatio praepositione *διὰ* cum infinitivo coniuncta exprimitur. § 30: *οὑτοσὶ διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτῷ οὐχ ὑπέμεινεν κτλ.* cf. Lutz l. c. p. 69, 7.

παίου ἑστηκότος νίκης κατὰ τῆς πόλεως νενικημένης. reliqua exempla, in quibus *κατά* de incommodo alicuius ('adversus, in, contra alqm') usurpatur, exscribere supersedeo, quia nil fere novi praebent: §§ 14, 30, 31, 46, 114, 126, 138 (*οὐ γὰρ δεῖ καθ' ὑμῶν γεγενῆσθαι δεινόν, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν κτλ.* i. e. 'non decet in s. contra vos disertos factos esse', nisi male depravatus est locus. cf. Rehdantz, append. I. ad h. l).

De tempore usurpatur *κατά* § 17 *κατὰ παντὸς τοῦ αἰῶνος,* quae locutio magis elata est quam quod vulgo legitur *εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον* quod ad vocem *αἰών* attinet, v. p. 9; quod ad praepositionem, v. Bernhardy p. 238. (haece tantummodo inveni exempla similia: Demosth. XXII, 72 *κατὰ παντὸς τοῦ χρόνου.* XXIV, 40.)

2. c. acc.

Exemplorum, quibus localis notio praepositionis *κατά* illustratur, adnotatu digna sunt haec fere simillima inter se: § 1 *τοῖς ἥρωσι τοῖς κατὰ τὴν πόλιν* ('per urbem' i. e. 'in tota urbe') *καὶ τὴν χώραν ἱδρυμένοις,* § 25 *τοῖς νομίμοις τοῖς κατὰ τὴν Μεγαρέων πόλιν εἰθισμένοις,* § 40, § 84, § 86. (cf. Kuehner § 433, b. I, 1 b.) — praeterea § 17 *κατὰ μέσην τὴν ἀκτὴν* (*διά τῆς πυλίδος*) *ἐξελθών,* ubi genuina notio 'secundum oram' ('am Strand hin, längs des Strandes') iam evanuit; § 55 *ἐκ τῆς ἀκτῆς κατὰ τὴν πυλίδα ἐμβαίνουσιν* 'in der Gegend des T.'), § 86 *φασὶ τὸν Κόδρον.... κατὰ τὰς πύλας ὑποδύντα φρύγανα συλλέγειν πρὸ τῆς πόλεως·*

Aeque ac *διά* (cf. p. 69) etiam *κατά* c. acc. finem motus alicuis indicat: § 55 *κατὰ ταύτην τὴν ἐργασίαν ἀπεδήμησεν εἰς Ῥόδον,* § 57 *κατ' ἐργασίαν ἐκπλεῖν,* § 55 *οἱ κατ' ἐμπορίαν πλέοντες,* § 58 *κατ' ἐμπορίαν ἀπεδήμει,* quibuscum conferantur Isocr. VII, 32, XVII, 4 Demosth. IL, 31. Aeschin. II,50. — Bernh. p. 239. Kuehner § 433,3 — ac ne *ἐπὶ* quidem in talibus respui statim

adiungam: § 57 ἐπ' ἐμπορίαν ἀποδημοῦντες; cum sola fere localis notio agnoscenda sit § 58 ἐγένετο ἐπὶ ταύτης τῆς ἐργασίας, quocum cf. Demosth. XV, 11 τῆς πόλεως οὔσης ἐπὶ τῶν πραγμάτων, XXXIII, 4 ἐγὼ... πολὺν χρόνον ἐπὶ τῆς ἐργασίας ὤν. sed valde miror Kuehnerum § 438, I, h confundere hunc usum cum eo, qui deprehenditur exempli causa ap. Demosth. XVIII, 118 ἐπὶ τοῦ θεωρικοῦ καταστάθείς, cum vertit Leocrateae quem dixi locum (§ 58:) 'war diesem Geschäfte vorgesetzt', immo reddenda sunt haec verba germanice 'war bei diesem Geschäft'. — ceterum Demosthenes etiam cum dativo coniungit ἐπί eadem notione, velut LII, 3 ἐφ' ἑτέρᾳ ἀποδημῶν ἐμπορίᾳ.

Sed hoc missum faciam. in eis autem, ad quas nunc accedimus, locutionibus vix puto ullum oratorem adeo variare dictionem atque Lycurgum, qui, ut non orationi ornatae atque expolitae nimis anxie studuit (velut Isocrates), ita interdum id operam dedit, ut ne orationem nulla varietate distinctam audientes reformidarent. plane eadem igitur notione usurpantur hae locutiones:

τὸ καθ' αὑτὸν §§ 26 et 147 (Demosth. XIX, 119 et 250, XX, 43 et 82, XVII, 39, XXIX, 60. Aeschin. III, 24. Dinarch. III, 10. cf. Isocr. III, 30.

τὸ καθ' αὑτὸν μέρος §§ 17 et 144 (Din III, 4)

κατὰ τὸ ἑαυτοῦ μέρος § 97 (cf. Isocr. XX, 8)

κατὰ τὴν ἰδίαν ἑκάστου μοῖραν § 64 τὸ τούτου μέρος § 78 (Demosth. XXXV, 50 — cf. Isocr. XIX, 33)

τὸ ἐπὶ τούτῳ μέρος § 45 (cf. Bernhardy pp. 131. 241. — 252. — 250. 349. — Kuehner § 433, 3.)

Singulare est, si quid video, § 148 τὰ κατὰ προαίρεσιν ἀδικήματα, quia saepius, quam κατὰ προαίρεσιν ('consulto, ex industria') dicunt ἐκ προνοίας.

Temporis ratio indicatur §§ 39, 44, 98 κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους, § 102 καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα.

μετά.

1.) c. gen. (cf. p. 65 s. f.)

Ad vulgarem notionem, quae est comitandi, proxime accedunt § 82 *τὴν μετὰ πολλῶν πόνων συνειλεγμένην εὔκλειαν.* § 124 *μετὰ πολλῶν παραδειγμάτων διδάσκειν.* § 102 *μετὰ λόγου καὶ ἀποδείξεως..* atque etiam ea exempla, in quibus modi ac rationis notio prorsus praevalet: §§ 125 *μετ' ἀληθείας δουλεύειν,* 129 *μετ' ἀληθείας παραδείγματα,* 129 *μετ' αἰσχύνης τὴν σωτηρίαν ὑπεύθυνον κινδύνῳ ἐποίησαν* ('cum probro salutem subiecerunt periculo'), fragm. 41 *μετ' εὐνοίας ἀκοῦσαί μου,* cum illis cohaerent. — ceterum *μετὰ* c. gen. idem fere valet ac solus dativus.

2) cum accusativo

apud Lycurgum *μετά* non coniungitur nisi notione temporis ('post'): §§ 19, 21, 124, 126.

ὑπέρ.

1.) c. gen.

Praepositiones *ὑπέρ* et *περί* (c. gen.) apud oratores Atticos haud raro promiscue usurpantur, ita tamen, ut posteriores (Demosth. Aeschin. Hyperid. Lycurg.) *ὑπὲρ* in deliciis habeant saepeque adhibeant, ubi *περὶ* exspectes, sc. ubi non de utilitate, commodo alicuius agitur: § 7 *τοῦτον* (sc. *τὸν ἀγῶνα*), *ὑπὲρ οὗ νῦν μέλλετε τὴν ψῆφον φέρειν* (quocum conferatur § 11 *πάντα μᾶλλον ἢ περὶ οὗ μέλλετε τὴν ψῆφον φέρειν*), § 147 *ὑπὲρ ἁπάντων τῶν μεγίστων.. ἀδικημάτων μίαν. ψῆφον...φέρειν.* § 11 *οὐδ' ὑπὲρ ὧν μὴ βουλεύεσθε γνώμην ἀποφήνασθαι οὐδ' ὑπὲρ ὧν μηδεὶς ἀπολογήσεται κατηγορίαν εὑρεῖν.* § 28 *πρόκλησιν ὑπὲρ τούτων ἁπάντων γράψας.* § 35 *ὑπὲρ τῶν ὁμολογουμένων ἐξαπατῆσαι.* § 34 *κινδυνεύειν ὑπὲρ προδοσίας* (i. q. *κρίνεσθαι περὶ προδοσίας* §§ 137. 141). sed certam in harum praepositionum usu normam oratorem non sequi eo efficitur, quod *ἀπολογεῖσθαι* et cum

περί (§ 114) et cum *ὑπέρ* (§§ 11, 115, 135, 138) coniungit, ita tamen, ut dubitari non possit, quin posteriorem hanc praepositionem praetulerit.

Sed etiam pro aliis praepositionibus usurpat Lycurgus *ὑπέρ*: § 101 *εὔνοιαν ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἔχειν:* ex consuetudine oratorum esset *εἰς* (velut Andoc. I, 141 *τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας*. Demosth. ep. 2. p. 1468 ed. Reiske), aut *πρός* (Lys. XVIII, 3. Demosth. ep. 3. ad extr.), aut *περί* (Lys. XVIII, 4), aut solum genetivum ponere. — cf. Frohberger ad Lys. XIII, 20.

Genetivus sufficeret etiam § 9 *τὴν ὑπὲρ τῶν τοιούτων τιμωρίαν*, § 150 *τῆς ὑπὲρ τῶν νόμων... σωτηρίας*.

2.) cum accusativo

semel tantum Lycurgus *ὑπὲρ* coniungit § 39 *ἐν τοῖς ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονόσι* (cf. Isae. VI, 14. Hyper. I. col. XIX, 5 ed. Blass; Aeschin. I, 11. III, 4.).

III.

De praepositionibus, quae cum tribus casibus coniunguntur.

ἐπί.

1.) c. gen.

Genuina notio propinquitatis perspicitur in omnibus fere exemplis, quorum haec tantummodo ut magis singularia adfero: § 64 *ὅταν οὖν ταύτην ἐφ' ἑνός* ('in uno') *τις παρίδῃ*, quocum apte conferentur Demosth. II, 1 *ἐπὶ πολλῶν μὲν ἄν τις ἰδεῖν δοκεῖ*. id. XVIII, 210. Isocr. V, 146. — § 44 *ἐφ' ὧν οὐδενὸς τὸ σῶμα ἑαυτοῦ παρέσχετο τάξαι Λεωκράτης* ('quorum operum nulli praebuit corpus etc.') cf. Lutz l. c. p. 104.

De *γενέσθαι ἐπὶ ταύτης τῆς ἐργασίας* cf. p. 71)

2.) c. dat.

Localem notionem non inveniri nisi quater (§§ 47, 109. 72. fragm. 77) facile quispiam miretur, quamquam haud scio an soli casui hoc dandum sit. — ad causam autem spectare hanc praepositionem, praesertim post

verba affectum animi significantia, notissimum est (v. Kuehner § 438, II, e.): § 25 ἐφ' οἷς μέλλω λέγειν ἀγανακτῆσαι, § 139. § 27 ἐπὶ τοῖς δεινοῖς ὀργιζόμενοι, § 78. § 41 ἐδάκρυσεν ἐπὶ ταῖς..συμφοραῖς, ibid. ἐπὶ τῷ αὐτόχθων εἶναι..ἐσεμνύνετο. § 104 ἐπὶ τῇ δόξῃ μέγα φρονοῦντες, § 138 ἐκπέπληγμαι..ἐπὶ τοῖς μήτε γένει μήτε φιλίᾳ μηδὲν προσήκουσιν. fragm. 78 ἐφ' οἷς καυχᾷ, οἱ ἄλλοι αἰσχύνονται. sed valde vereor, ne stare non possit, quod traditum est § 47 ἐπὶ τοῖς τείχεσι...τὴν ἐλπίδα ἔχοντες, quia in talibus ἐν ponere solent oratores: Isocr. IV, 121 ἐν ἐκείνῳ τὰς ἐλπίδας ἔχομεν, V, 55. VIII, 60. (Ps) Demosth. LVIII, 60. Dinarch. I, 36. sed quid plura? nonne ipse Lycurgus dicit § 39 αἱ ἐλπίδες.·.ἐν τοῖς ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονόσι καθειστήκεσαν.

Causae significatio etiam his locis statuenda est: § 63 τοιαύτην ἀπολογίαν ποιούμενοι...., ἐφ' ᾗ δικαίως ἂν τις ἀποθάνοιεν, § 65 ἐπὶ πᾶσι καὶ τοῖς ἐλαχίστοις παρανομήμασι θάνατον ὥρισαν εἶναι τὴν ζημίαν. (cf. Andoc. I, 49. οὗτοι ἐπὶ ταῖς αἰτίαις δι' ἃς ἡμεῖς ἀπολλύμεθα οἱ μὲν αὐτῶν τεθνᾶσιν, οἱ δὲ οἴχονται φεύγοντες Aeschin. III, 235 τὰς αἰτίας ἀκοῦσαι ἐφ' αἷς ἔμελλον ἀποθνήσκειν.)

3.) c. acc.

Pauca hic habeo, quae adnotem, quia semper fere loci notio, quae nil novi praebet, nobis occurrit. nisi quod finis et consilium denotatur § 45 ἐπ' ἐκφορὰν ἐλθεῖν, § 57 σπεύδειν ἐπὶ...βοήθειαν. fragm. 96 τοῖς ἀπὸ τῆς φύσεως ἀγαθοῖς ἐπὶ τὰ χείρω χρῶνται.

παρά.

1.) c. gen.

Qui dedita opera in praepositionum usum Lycurgeum inquisiverit, facile intelleget circumlocutionibus omnium maxime παρά servire: § 15 τὴν παρ' ὑμῶν τιμωρίαν, § 126 τῆς παρὰ τῶν ἀδικουμένων τιμωρίας, § 148 τῇ

παρὰ τῶν θεῶν τιμωρίᾳ (sed § 79 τὴν ἀπ' αὐτῶν τιμωρίαν. v. p. 66) (cf. Lys. XII, 88. Isocr. VIII, 120); § 26 ἡ παρὰ τῶν θεῶν βοήθεια, § 129 αἱ παρὰ τῶν θεῶν ἐπικουρίαι, § 82 τὴν παρὰ τῶν θεῶν εὔνοιαν (cf. Demosth. I, 10. II, 1), § 97 τὴν παρὰ τῶν θεῶν μαρτυρίαν, § 71 ὁ παρὰ Ξέρξου πρεσβευτής (cf. Demosth. II, 12), § 105 οἱ παρ' ὑμῶν ἡγεμόνες, § 123 ἡ παρὰ τοῦ δήμου σωτηρία, § 130 ὁ παρὰ τῶν πολιτῶν φόβος (cf. etiam Isae. I, 39 ἡ παρ' ὑμῶν αἰσχύνη, Isocr. ep. IV, 8. Demosth. VI, 34 τῇ παρ' ὑμῶν ὀργῇ id. XVIII, 109 τὰς παρὰ τῶν πλουσίων χάριτας.[1]) ad similitudinem igitur horum exemplorum (de quorum genere v. Bernhardy p. 256) emendandus esse videtur locus in libris pessime turbatus atque confusus, dico § 29: τὴν πάντων συνειδότων ἔλεγχον φυγών, ubi cum Schoemanno scribendum esse censeo τὸν παρὰ τῶν συνειδότων ἔλεγχον, quae coniectura neque a traditis litteris multum abest, et egregie confirmatur Isaei loco simillimo VI, 16 παρὰ τῶν ὄντων θεραπόντων τὸν ἔλεγχον ποιεῖσθαι (cf. Schoemann ad h. l.). — ceterum cum vi quadam et perspicuitatis augendae causa talia dicere oratorem patet, contra § 127 ἡ ἐκείνων τιμωρία (cf. Kuehner § 440, I, 2, ζ).

§ 80 παρ' ὑμῶν εὑρόντες dictum esse videtur ad exemplar Isocr. XII, 18 οὐδὲν παρ' αὑτῶν λέγοντες IX, 36 οὐ μόνον τῶν γεγενημένων, (sc. καθόδων) τὰς καλλίστας ἡμῖν ἀπαγγέλλουσιν, ἀλλὰ καὶ παρ' αὑτῶν καινὰς συντιθέασιν. XV, 223 ἃ παρὰ τῆς αὑτοῦ φύσεως ἐπίσταται. — cf. Demosth. II, 4 ἐνθένδ' ἂν αὐτὸν ἴδοι (sc. τις) μέγαν γεγενημένον, οὐχὶ παρ' αὑτοῦ, VIII, 75 τὰ μὲν ἔργα παρ' ὑμῶν αὐτῶν ζητεῖτε, ἃ δὲ βέλτιστ' ἢ μὴ παρὰ τοῦ παριόντος. — significat autem 'ex semet ipso invenire, excogitare' („aus eigener Kraft, aus sich selbst herausfinden"). — etiam

[1]) paullo aliter Lycurgus dicit § 139 ἄξιός ἐστι παρ' ὑμῶν τοιαύτης χάριτος.

2.) cum dativo

παρά in circumscriptionibus, etsi rarius, coniungitur: velut pronomen possessivum circumscribitur § 80 *τὸν παρ' ὑμῖν εἰθισμένον ὅρκον;* per pleonasmum dicitur § 141 *τοῦ κοινοῦ παρὰ πᾶσιν ἐλέου.*

A verbis passivis pendet *παρά* c. dat. § 3 *φιλάνθρωπον* (sc. *ἐστί*) *αὐτὸ παρά τοῖς πολλοῖς ὑπειλῆφθαι.* § 12 *τοσοῦτον διαφέρει* (sc. *τὸ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ συνέδριον*) *τῶν ἄλλων δικαστηρίων, ὥστε καὶ παρ' αὐτοῖς ὁμολογεῖσθαι τοῖς ἁλισκομένοις δικαίαν ποιεῖσθαι τὴν κρίσιν.* § 54 *ἃ δὴ κατέγνωσται μὲν παρὰ τῷ δικαιοτάτῳ συνεδρίῳ, κατεψήφισται δὲ ὑφ' ὑμῶν τῶν δικάζειν λαχόντων, ὁμολογεῖται δὲ παρὰ τῷ δήμῳ κτλ.* § 110 *νομίζοντες ἐκεῖνα μὲν παρὰ τοῖς πολεμίοις εὐδοκιμεῖν, παρὰ δ' ὑμῖν ἀναίδειαν καὶ . . δειλίαν κεκρίσθαι κάλλιστον.* exempla ceterorum contulerunt Maetzner et Rehdantz ad h. l., Kuehner § 440 a, II, 2, c., qui, quale sit notionis discrimen inter *παρὰ* c. dat. et *ὑπὸ* c. gen., egregie exponit; Bernhardy p. 257.

Satis singulariter dictum esse videtur § 146 *τὰ γὰρ ἀδικήματα, ἕως μὲν ἂν ᾖ ἄκριτα, παρὰ τοῖς πράξασίν ἐστιν* ('apud auctores manent'), *ἐπειδὰν δὲ κρίσις γένηται παρὰ τοῖς μὴ δικαίως ἐπεξελθοῦσιν.*

3.) c. acc.

§ 63 *ὡς οὐδὲν ἂν παρ' ἕνα ἄνθρωπον ἐγένετο τούτων:* Bernhardyum errasse, cum vertit *παρ' ἕνα* „weniger 1“ (Synt. p. 258), iam Maetzner ad h. l. adnotavit. immo haec est sententia illorum verborum 'non steti, per unum hominem' „auf einen Menschen kam es nicht an.“ neque aliter iudicandum esse videtur de *ὡς οὐδὲν γεγένηται παρὰ τοῦτον,* quae verba in fine eiusdem paragraphi leguntur; quibus ab exemplis differunt nec tamen prorsus dissimilia sunt § 64 *παρὰ τοῦτον εἶναι* ('penes eum esse') *τῇ πόλει τὴν σωτηρίαν,* § 66 *εἴ τις*

ἕνα νόμον....ἐξαλείψειεν, εἶτ' ἀπολογοῖτο, ὡς οὐδὲν παρά τοῦτον τῇ πόλει ἐστιν. cf. Kuehner § 440, III, 3.

Merito videor mihi praeterire tritiora, velut § 130 παρὰ τὸ συμφέρον τῆς πόλεως ('contra civitatis commodum',) (cf. Isocr. IV, 53. ep. IX, 12.) — § 27 παρὰ τοὺς νόμους.

περί.

1.) c. gen.

De περί praepositione promiscue cum ὑπέρ posita v. p. 72).

Etiam περί in circumlocutionibus usurpatur, velut § 117 ἡ περὶ τῆς προδοσίας... κρίσις. eadem ubertate, quae nobis quidem videtur, usus Lycurgus etiam post verba nonnulla praepositionem περί ponit, ubi genetivus solus sufficeret: §§ 137 et 141 κρίνειν περὶ προδοσίας (sed § 113 κρίνειν προδοσίας.) concedendum est autem saepe post κρίνειν oratores περί adhibere (Demosth. IV, 47. Aeschin. II, 165. III, 52). — § 56 περὶ ὧν αὐτὸς προσεδόκα τεύξεσθαι τιμωρίας, § 120 περὶ τῶν προδοτῶν...ὁμοίας καὶ ἀκολούθους ἀλλήλαις τὰς τιμωρίας ἐποιοῦντο. § 108 περὶ τῆς ἡγεμονίας ἀμφισβητεῖν (contra Isocr. VI, 74 τῶν ἡμετέρων ἀμφισβητοῦντες v. Kuehner § 419, 1 g.) — § 136 εἴ τις ἄρα ἐστιν αἴσθησις τῶν ἐκεῖ περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων (h. l. περί evitandi duorum genetivorum concursus causa positum est), § 16 μεμνῆσθαι περὶ αὐτῶν (cf. Isocr. XII, 41. X, 14. Demosth. XXIV, 132. XXXIII, 6. Aeschin II, 167). — cf. etiam § 36 περὶ τῆς προκλήσεως μεμαθηκέναι, § 66 ἄλλως πως περὶ τούτου ἐξετάζειν (Isae. IV, 2. 11. Aeschin. I, 75), § 28 ὡς δικαίαν τὴν ἐξέτασιν ποιουμένου περὶ τούτων. — σπουδάζειν orator et cum περί: § 107 περὶ τούτου οὕτω σφόδρα ἐσπουδάκασιν (Isocr. III, 48. VI, 35. IX, 3. Demosth. XXI, 4 etc.) et cum ὑπέρ § 88 ὑπὲρ ἧς (sc. χώρας) γὰρ οὕτω σφόδρα ἐσπούδαζον (Isocr. V, 127. VI, 25. VIII, 13. Demosth. XLII, 10 etc.) coniun-

git; apud nonnullos oratores etiam *περί* c. acc. secum habet hoc verbum, velut apud Isocr. I, 10. Demosth. VI, 4. XVII, 1. Aeschin. I, 41. — *χρηματίζειν* primus Lycurgus cum *περί* copulat § 37 *τὴν βουλὴν.... χρηματιοῦσαν περὶ φυλακῆς.... ἔδοξε,* significatione 'consilium inire, statuere de custodia', quod Demosthenes et post eum alii interdum imitati sunt.

2.) cum dativo

περί Lycurgus nunquam coniungit, quantum quidem ex illis quae exstant reliquiis intellegitur.

3.) c. acc.

In circumlocutionibus legitur § 94 *τὴν περὶ τοὺς γονέας* (sc. *πρᾶξιν*), § 106 *τὴν περὶ τοὺς νέους ἐπιμέλειαν.*

Localis vis subest § 17 *τῆς νεὼς ἤδη περὶ τὴν ἀκτὴν ἐξορμούσης,* temporalis ibid. *περὶ δείλην ὀψίαν.*

Tertii fere casus vicem tenet *περί* c. acc. § 21 *οὐδὲν δεινὸν ἐγεγόνει περὶ τὴν πόλιν* (v. Kuehner § 437, III, 3 cf. Hyperid. or. III. col. XXXVI, 25 ed. Blass *τὰ περὶ τὴν φιάλην γεγονότα*), secundi casus § 107 *περὶ τοὺς ποιητὰς οὐδένα λόγον ἔχοντες.*

πρός

1.) cum genetivo

a Lycurgo nusquam copulatur, ac ne

2.) cum dativo

quidem nisi duobus locis: § 56 *πρὸς δὲ τούτοις τί προσῆκεν κτλ;* et fragm. 17 *πρὸς τοῖς θεσμοθέταις γραφὰς γραφόμενος, πρὸς τοῖς συνδίκοις ἀπογραφὰς ἀπογράφων,* pro quo etiam dicebant *ἐν* (*τοῖς θεσμοθέταις*) etc. cf. p. 63. (cf. tamen Demosth. XXVII, 49 *πρὸς τῷ διαιτητῇ λέγειν, ὡς...* XXXXIV, 58 *ἄνευ διαμαρτυρίας πρὸς ἅπασι τοῖς συνεδρίοις*), aut *πρὸς*

3.) cum accusativo

usurpabant, velut ipse Lycurgus § 63 *ἀπολογίαν ποιούμενοι πρὸς ὑμᾶς,* § 146 *μηνύω τὸν ἀφανίζοντα ταῦτα*

πάντα πρὸς ὑμᾶς. v. Schoemann. ad. Isae. p. 244. 246. Kuehner § 441, III, 1. b. — adiungo § 102 ἐπίδειξιν ποιούμενοι πρὸς τοὺς Ἕλληνας, § 109 μαρτύρια ἀναγεγραμμένα πρὸς ἅπαντας τοὺς Ἕλληνας, § 75 πρὸς εἰδότας διελθεῖν, § 90 ἐρεῖ πρὸς ὑμᾶς, § 146 πρὸς ὑμᾶς εἰπών. — § 140 φιλοτιμεῖσθαι πρὸς τὴν πόλιν ('gloriam expetere apud civitatem', 'bene mereri studere de c.'). § 101 καταισχύνειν πρὸς ὑμᾶς (cf. Aeschin. I, 54. 70.)

Omitto alia, velut § 106 πρὸς ἀνδρείαν παιδεύονται, § 82 ἀγαθῶν γενομένων πρὸς τὸν κίνδυνον (de quo v. Kuehner § 441, III, 3, d.), ut nihil fere novi praebentia, neque est, quod miremur etiam hanc praepositionem, quam omnino frequenter adhibet, in circumlocutionibus multifariam usurpare Lycurgum: § 6 τῆς πρὸς αὐτοὺς διαφορᾶς, § 130 τοὺς πρὸς τοὺς πολεμίους κινδύνους, § 135 διὰ τὴν πρὸς αὐτοὺς φιλίαν.

ὑπό.

1.) cum genetivo

non coniungitur nisi post verba passiva, quae exempla adferri nihil opus est.

2.) c. dat.

De ἔχειν ὑπὸ τῇ ψήφῳ, § 2, quod est unum praepositionis ὑπὸ cum dativo coniunctae exemplum, v. p. 65 adn. ac ne

3.) cum accusativo

quidem copulatur ὑπό nisi § 70 ὑπὸ τὴν νύκτα i. e. 'sub noctem'.

Iam

de particulis

disputaturus excusari me velim, quod in hac quidem parte pauca tantummodo commemorabo potiora: etenim neque multa praebet particularum usus Lycurgeus a reliquorum consuetudine abhorrentia et timeo, ne, si omnia, quae ordine collegi, typis exscribenda curarem, in magnum volumen adcresceret haec dissertatio.

Kaí.

Omissis plerisque illis locis, ubi, quae est natura particulae *καί*, altera enuntiatio alteri adiungitur, haec tantum mihi adferenda esse censeo.

Communem oratorum Atticorum consuetudinem esse, ut in testimoniis, legibus, decretis proferendis ante imperativum, quo recitari ea a scriba iubent, *καί* ponant, docent Hartung l. c. I. p. 145, Kuehner § 521, 5, pluraque de hoc genere exposuerunt Schepe[1]) et Ljungdahl[2]). sed monendum est Demosthenem, ni me omnia fallunt, saepius fere omittere *καί* in talibus, velut in una or. XVIII §§ 212, 214, 217, 221, 222 etc. a Lycurgo septiens ponitur *καί*: §§ 23, 28, 36, 80. 118, 125, 146, quater *δέ*: §§ 24 bis, 114, 120, bis solus imperativus: §§ 20, 77.

Non prorsus dissimiliter in prodiorthosi quae dicitur ea, quae opponuntur clamori aut opinioni audientium, ab oratore ita proferentur, ut *καί* cum negativo enuntiatione coniungatur: § 52 *καὶ μηδείς μοι θορυβήσῃ*, § 128 *καί μή μοι ἀχθεσθῆτε, ὦ ἄνδρες, εἰ κτλ.* (cf. Lys. XXI, 16. Isocr. II, 40. XX, 19. Demosth. V, 15. Hyper. or. II. fragm. I. p. XXXIV, 5. Dinarch. I, 55). semel a Lycurgo *δέ* usurpatur: § 23 *ἵνα δὲ μὴ λόγον οἴησθε εἶναι, ἀλλ' εἰδῆτε κτλ.* cf. Ljungdahl l. c. p. 25, qui propterea *καὶ* in talibus praeferri putat, ne *μή* et *δέ* una audiantur *μηδέ* (quod accideret § 128 Leocr.).

De adversativa vi particulae *καί*, quae invenitur § 116 *ἔργῳ καὶ οὐ λόγῳ* vid. Kuehner. § 521, 4. — cf. Rosenberg, Jahrb. f. klass. Philol. 20. Jahrg. (1874) p. 343.

Non isolens est particulam *καί* significationem latinae

---

[1]) 'De transitionis formulis, quibus oratores Attici praeter Isocr. Aeschin. Demosth. utuntur'. Bueckeburg 1878. p. 9.

[2]) 'De transeundi generibus, quibus utitur Isocr., commentatio' Universitats Arsskrift, Upsala 1871.

particulae 'etiam' aut 'vel' habere (cf. Kuehner § 524); § 57 τοῦτον δὲ μόνον ἐν τοῖς τότε καιροῖς καὶ κατ' ἐργασίαν ἐκπλεῖν, § 61 καὶ ἐκ τούτων ὅμως ἠλευθερώθημεν, § 65 ἐπὶ πᾶσι καὶ τοῖς ἐλαχίστοις παρανομήμασι θάνατον ὥρισαν εἶναι τὴν ζημίαν, § 71 ὅπου δὲ καὶ τοῦ λόγου τιμωρίαν ἠξίουν λαμβάνειν, ἦ που τὸν ἔργῳ παραδόντα τὴν πόλιν.... οὐ μεγάλαις ἂν ζημίαις ἐκόλασαν; § 90 ὥσπερ οὐ πάντας καὶ τοὺς κλέπτοντας καὶ ἱεροσυλοῦντας („als ob nicht alle, Diebe sogar und Tempelräuber....“), § 139 ἐφ' οἷς ἔγωγε καὶ μάλιστ' ('vel maxime') ἀγανακτῶ (v. Hartung „Lehre von den Partikeln d. griech. Spr.“ Erlangen 1832/3 I. p. 134.); § 124 ἱκανὰ μὲν οὖν καὶ ταῦτα τὴν τῶν προγόνων γνῶναι διάνοιαν (cf. Isocr. VIII, 25). — notio, quae in his exemplis inest particulae καί[1]), etiam magis effertur eo, quod additur μήν ('at vero, iam vero'): § 79 καὶ μήν, ὦ ἄνδρες, καὶ τοῦθ' ὑμᾶς δεῖ μαθεῖν κτλ. § 134 Καὶ μὴν ...τῶν πώποτε προδοτῶν δικαιότατ' ἂν Λεωκράτης, εἴ τις μείζων εἴη τιμωρία θανάτου, ταύτην ὑπόσχοι. — v. Kuehner § 502, c. Hartung l. c. II. p. 379.

Quaerenti mihi, quam rationem secutus sit Lycurgus in usurpandis particulis ἀλλά et ἀλλὰ καί post οὐ (μόνον), hoc dicendum esse videtur, eum norma in hac re omnino usum non esse. itaque viri docti, qui certum apud oratorem discrimen statuere conati sunt, pugnantia inter se proferunt, veluti Maetzner ad § 9 et 106 huius orationis. qui priore loco adfirmat addita particula καὶ 'minoribus maiora, parti totum' addi, posteriore loco omissa particula idem fieri contendit: promiscue igitur ἀλλά et ἀλλὰ καί post οὐ μόνον posuisse Lycurgum dicendum est, quod intellegitur ex exemplis: § 9 δεῖ ὑμᾶς γενέσθαι μὴ μόνον τοῦ νῦν ἀδικήματος δικαστάς, ἀλλὰ

[1]) eidem generi attribuendum est § 14 ἢ καλῶς ἢ καὶ φαύλως (cf. Demosth. XX, 123 ἢ ξένος ἢ καί τις πολίτης), de qua locatione v. Kuehner § 540, 2.

καὶ νομοθέτας. § 58 *Ἄξιον δέ ἐστιν οὐ μόνον αὐτῷ διὰ τὴν πρᾶξιν ὀργίζεσθαι ταύτην, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦτον*, § 104 *οὐ μόνον ὑπὲρ τῆς αὐτῶν πατρίδος ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς Ἑλλάδος ὡς κοινῆς ἤθελον ἀποθνήσκειν* § 106 *οὐ μόνον εἰς τὸν παρόντα κίνδυνον, ἀλλ' εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα βουλευσάμενοι καλῶς*.

Eadem fere potestas atque particulis *οὐ μόνον — ἀλλά (καί)* subest particulis *καί — δέ*, quae satis raro a plerisque oratoribus, a Lycurgo bis ita coniunguntur: § 27 *Καὶ ταῦτα δέ, ὦ ἄνδρες, ἐμοῦ θεωρήσατε, ὡς κτλ.* (i. q. *οὐ μόνον ἐκεῖνα, ἀλλὰ καὶ ταῦτα κτλ.*), § 117 *καὶ αὐτὸς ὁ Ἵππαρχος...καὶ οἱ ἄλλοι δὲ προδόται* (i. q. *οὐ μόνον ὁ Ἵππ., ἀλλὰ καὶ κτλ.*). v. Frohberger ad Lys. XIX, 5. Baeumlein „Untersuchungen über griech. Partikeln." Stuttgart. 1861. p. 148.

Particulas *τε* et *καὶ* nullis verbis interpositis coniunctas rarissime inveniri apud oratores accurata observatione docuit Fuhr, Mus. Rhen. XXXIII (1878) p. 578 sq. in una Leocratea bis sic legimus: § 74 *μισεῖν τε καὶ κολάζειν*, § 87 *αὐτῷ τε καὶ ἐκγόνοις*.

Quoniam autem de *τε-καὶ* dicere incepi, statim hoc loco addam et has et alias particulas haud raro insolentiorem in modum a Lycurgo esse traiectas: § 56 *κατεγνώκει τε αὐτοῦ προδεδωκέναι τὴν πατρίδα καὶ μεγάλα πάντας ἠδικηκέναι* (pro *κατεγνώκει αὐτοῦ προδεδωκέναι τε τὴν πατρ. καὶ κτλ.*), § 113 *τά τε ὀστᾶ αὐτοῦ ἀνορύξαι καὶ ἐξορίσαι*. quibus exemplis haec adiungere liceat: § 110 *νομίζοντες ἐκεῖνα μὲν παρὰ τοῖς πολεμίοις εὐδοκιμεῖν, παρὰ δ' ὑμῖν ἀναίδειαν καὶ προδοσίαν καὶ δειλίαν κεκρίσθαι κάλλιστον* (exspectamus *παρὰ τοῖς μὲν πολεμίοις, παρὰ δ' ὑμῖν κτλ.*). § 58 *οὐ μόνον αὐτῷ διὰ τὴν πρᾶξιν ὀργίζεσθαι ταύτην, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦτον* (pro *αὐτῷ οὐ μόνον διὰ τὴν πρᾶξιν.., ἀλλὰ καὶ διὰ τ. λ.*), § 9 *δεῖ ὑμᾶς γενέσθαι μὴ μόνον τοῦ νῦν ἀδικήματος δικαστάς, ἀλλὰ καὶ νομοθέτας* (pro *μὴ μόνον δικαστάς, ἀλλὰ καὶ ν.*).

quibus exemplis nixus Maetznero et Rehdantzio adsentior suspicantibus etiam in verbis § 14 Ἐπιφανής τε γάρ ἐστιν διὰ τὸν ἔκπλουν τὸν εἰς Ῥόδον καὶ τὴν ἀπαγγελίαν voculam τε traiectam esse a substantivo ἔκπλουν, quia opponuntur ἔκπλουν et ἀπαγγελίαν, non ἐπιφανής et ἀπαγγελίαν (quod iam vidit Matthiae § 626 p. 1505).

μέν et δέ.

Particulam δέ non praecedente μὲν poni ad inducenda membra orationis singula et partes argumentaque, seu minora sunt seu maiora, notum est. cf. §§ 3, 14, 16, 20, 50, 52, 59, 68, 94, 102, 131, 146. — Schepe l. c. p. 10. Ljungdahl l. c. p. 30. — rariora vero sunt haec omissae particulae μὲν exempla: fragm. 53 τὴν τοίνυν ἀρχαιοτάτην θυσίαν διὰ τὴν ἄνοδον τῆς θεοῦ, ὀνομασθεῖσαν δὲ Προχαριστήρια διὰ τὴν βλάστησιν τῶν καρπῶν τῶν φυομένων. fragm. 84 καὶ ἡμεῖς Πυανόψια ταύτην τὴν ἑορτὴν καλοῦμεν, οἱ δ' ἄλλοι Ἕλληνες Πανόψια.

Contra δέ desideratur § 19 πρῶτον μὲν τὰς τῶν γειτόνων (sc. μαρτυρίας)..., ἔπειτα τῶν παραγενομένων εἰς Ῥόδον, § 118 καί μοι λαβὲ πρῶτον μὲν τὸ ψήφισμα καθ' ὅ...., ἔπειτα τῆς στήλης τὸ ὑππόγραμμα. in § 66 (ἐγὼ μὲν οἶμαι δικαίως κτλ.) et § 67 (ἐγὼ μὲν γὰρ ἡγοῦμαι κτλ.) μέν idem fere valet atque γε.

Perraro δέ invenitur in enuntiatione primaria (δέ ἀποδοτικόν) praemissa structura participiali. quod accidit § 99 χρήσαντος δ' αὐτῷ τοῦ θεοῦ τὴν θυγατέρα εἰ θύσειε...., ὁ δὲ τῷ θεῷ πειθόμενος τοῦτ' ἔπραξε (si quidem sanus est hic locus). cf. Isocr. XV, 71 δέον αὐτοὺς τὴν φρόνησιν ἀσκεῖν...., οἱ δὲ χεῖρον παιδεύονται (Xenoph. Hell. III, 3, 7. An. VI, 6, 16. Plat. Symp. 220, b.). accurate de hac licentia egit Hartung l. c. I. p. 183 sq. cf. Kuehner § 533 adn. — paullo saepius δὲ ponitur post enuntiata relativa iterato pronomine demonstrativo: § 127 μὴ γὰρ οἴεσθε...., τῶν ὅρκων καὶ τῆς πίστεως, ἣν δόντες οἱ πατέρες...μετεῖχον, ταύτης

δὲ μὴ κληρονομεῖν. cf. Isocr. IV, 98. 176. XVIII, 58. Andoc. III, 1. Demosth. XXIII, 126. — v. Hartung l. c. p. 172—178. plura exempla attulit Buttmann in exc. XII. ad Demosth. Mid. p. 147.

Sunt denique loci, in quibus *δέ* positum est pro graviore particula *γάρ* [1]), velut § 51 *ἐπίστασθε... μόνοι τῶν Ἑλλήνων τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τιμᾶν· εὑρήσετε δὲ παρὰ μὲν τοῖς ἄλλοις κτλ.* — eodem pertinent formulae illae per *δέ* sic conformatae, ut, antequam ipsa res exponatur, orator quodammodo iudicet, quale quantumque sit id, quo transeatur: § 49 *εἰ δὲ δεῖ καὶ παραδοξότατον εἰπεῖν, ἀληθὲς δέ, ἐκεῖνοι νικῶντες ἀπέθανον.* sed § 61 *εἰ γὰρ δεῖ τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν, πόλεώς ἐστι θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι* (Ljungdahl l. c. p. 34).

ἀλλά.

Nemo est qui neget incitatae orationis esse interrogationes illas cum eis, quae sive ex mente adversarii sive ab ipso oratore respondentur: 'at', 'dixerit quispiam' § 135 *Πότερον διὰ τὴν πρὸς αὐτοὺς φιλίαν; ἀλλ' ἔμοιγε δοκοῦσιν δικαίως οὐκ ἂν χάριτος τυχεῖν, ἀλλ' ἀποθανεῖν;* § 144 *Ποία δὲ ἡλικία δικαίως ἂν αὐτὸν ἐλεήσειε; πότερον ἡ τῶν πρεσβυτέρων; ἀλλ' οὐδὲ γηροτροφηθῆναι ....παρέδωκε* (cf. Aeschin. III, 230. Demosth XVIII, 24. plura exempla congessit Frohberger ad Lys. XIV, 41. cf. etiam Baeumlein l. c. p. 14).

Liceat hic in uno conspectu ponere particulas praesumptionis s. anteoccupationis, quae ibi usurpantur, ubi non, sicut eo quem modo tractavimus loco, ipsa adversarii verba inferuntur, sed orator id, quod suspicatur adversarium sive aliquem eorum, qui audiunt, oppositurum esse, ipse profert. (cf. de hac figura, quae graece *πρόληψις* s. *προκατάληψις* nominatur, Cic. de orat. III, 205. orat. 138).

---

[1]) contra *γάρ* in libris legitur § 49 *ταῦτα γὰρ ἀμφότερα... ὑπάρχει*, ubi *δέ* exspectamus. v. Frohberger, Philol. vol. 29 p. 628.

δέ: § 59 Ἥξει δ' ἴσως ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λόγον φερόμενος κτλ (hinc refutatio incipit totius orationis) οὖν: § 63 Ἴσως οὖν τῶν συνηγόρων αὐτῷ τολμήσει τις εἰπεῖν κτλ. καίτοι: § 90 Καίτοι γε ἐπεχείρησεν εἰπεῖν, ὃ καὶ νῦν ἴσως ἐρεῖ πρὸς ὑμᾶς, ὡς κτλ.	Exempla ad ea, quae κατὰ δόξαν, ut dicunt technici, proferuntur, spectantia.

cf. Isae. X, 18. Lys. X, 6. XXII, 11. XXX, 7. Isocr. VII, 36. XIV, 11. XIX, 42. Demosth. XXXVIII, 23. XLI, 12.

δέ: § 55 πυνθάνομαι δὲ αὐτὸν ἐπιχειρήσειν ὑμᾶς ἐξαπατᾶν λέγοντα, ὡς κτλ. § 68 Ἀγανακτῶ δὲ μάλιστα, ὦ ἄνδρες, ἐπειδὰν ἀκούσω τῶν μετὰ τούτου τινὸς λέγοντος, ὡς κτλ.	κατ' ἀκοὴν proferuntur.

cf. Lys. XXX, 17. Isocr. XVIII, 13. Demosth. XIX, 182. 201. — Lys. XIII, 55. 77, 85. XXVI, 3. X, 30 etc.

τοίνυν: § 31 Χωρὶς τοίνυν τούτων Λεωκράτης ἀναβοήσεται αὐτίκα, ὡς κτλ.	κατ' ἐπιστήμην.

cf. Lys. XIV, 8.

iuris iurandi formulis, quas quidem in talibus Demosthenes praecipue adhibet (v. Rehdantz, Demosth. ind. I. s. v. ὑποφορά), Lycurgus ne semel quidem utitur.

Vidimus igitur in hac figura tum hanc tum illam particulam usurpari. atque de δέ quidem iam supra (p. 83) pauca diximus. utique particulas

τοίνυν et οὖν

in talibus usurpari maxime consentaneum est, quoniam, quae est earum natura, praegressa absolvunt orationemque continuant, quod ipsum in his, de quibus modo disputavimus, praesumptionibus accidit. illud vero magis quis miretur, quod particula τοίνυν, quam saepissime in ipsa hac figura oratores usurpant (v. exempla supra

adlata), Lycurgus in uno tantum huius figurae exemplo (§ 31) utitur, quamquam sedeciens omnino eam adhibet. ac primum quidem *τοίνυν* narrationem continuat, velut § 21 verbis *Μετὰ ταῦτα τοίνυν, ὦ ἄνδρες, ἐπειδὴ χρόνος ἐγένετο καὶ ἀφικνεῖτο κτλ.* continuatur narratio in fine paragraphi 18 testimoniis adlatis interrupta (v. Ljungdahl l. c. p. 21.). similiter § 29 *Ἀκούετε τῆς προκλήσεως· ἅμα τοίνυν ταύτην Λεωκράτης οὐκ ἐδέχετο καὶ κατεμαρτύρει κτλ.* deinde in argumentatione ad novam causam transitur: § 30 *ἐγὼ τοίνυν τοσοῦτον ἀφέστηκα τοῦ ἀδίκως τὴν εἰσαγγελίαν...ποιήσασθαι, ὅσον κτλ.* § 31 (v. supra), §§ 51. 67. 74. 122. 127. denique repetuntur ea, quae antea sunt dicta, quia alia sunt interiecta, § 77: *παρὰ τοῦτον τοίνυν* (sc. *τὸν ὅρκον*) *ἅπαντα πεποίηκε Λεωκράτης* (respicit ad verba § 76 *ὃν* (sc. *ὅρκον*) *εἰ μὲν ὀμώμοκε κτλ.*), § 82 *οὕτω τοίνυν...σφόδρα ἐνέμειναν ἐν τούτῳ πάντες, ὥστε κτλ.* (spectat ad § 80 *μεμνησάμενοι τὸν παρ' ὑμῖν ὅρκον*), § 108 *οὕτω τοίνυν εἶχον πρὸς ἀνδρείαν οἱ τούτων ἀκούοντες, ὥστε κτλ.* (cf. § 186 ad extr. *κατέλιπε γὰρ αὐτοῖς ἐλεγεῖα ποιήσας, ὧν ἀκούοντες παιδεύονται πρὸς ἀνδρείαν*), § 146. § 79. — multo saepius etiam quam apud Lycurgum haec particula apud Demosthenem invenitur, raro apud Antiphontem, Hyperidem, Isocratem. scite de hac particula disseruit Rosenberg, Jahrb. f. kl. Philol. vol. 109. p. 109 sq. — cf. etiam Schepe l. c. p. 14.

Plane idem dicendum esse de usu particulae *οὖν*. praeterea autem *οὖν* in apodosi quam dicunt locum habet § 141 *εἰ καὶ περὶ οὐδενὸς ἄλλου νόμιμόν ἐστι...., ἀλλ' οὖν γε κτλ.* — denique in transcursu commemoro saepius solito Lycurgum, quo est gravitatis studio, pleniorem formam *τοιγαροῦν* usurpare: §§ 72, 88, 105, 109, 114, 133.

Haec habebam, quae de his particulis dicerem; relicum est, ut

de coniunctionibus

pauca disseram.

Quod attinet ad § 82 τοὺς μὲν προγόνους ὑμῶν ἀποθνήσκειν τολμᾶν, ὥστε μὴ τὴν πόλιν ἀδοξεῖν, ubi ex nostrae linguae ratione exspectamus ἐφ' ᾧτε vel ἵνα, relego ad Rehdantzii Demosth. Ind. II. s. v. ὥστε et Maetzneri adnot. ad hunc locum.

De particula εἰ ibi posita, ubi nos ὅτι exspectamus, velut § 138 ἐκπέπληγμαι...., εἰ λελήθασιν ὑμᾶς τῆς ἐσχάτης ὀργῆς δικαίως ἂν τυγχάνοντες, fragm. 61 θαυμάζω δ' ἐγώ, εἰ τοὺς ἀνδραποδιστάς...θανάτῳ ζημιοῦμεν (corr. Baiter. codd. ζημιοῦν), v. Krueger § 65 adn. 7 sq., Kuehner § 551, 8. neque apte non conferentur Isocr. IV, 170. V, 42. Demosth. II, 24. IV, 43.

§ 128 οὐ πρότερον ἀπῆλθον πρὶν ἢ τῷ λιμῷ ἀπέκτειναν (sc. Παυσανίαν)[1]) commemoro propterea, quod πρὶν ἢ ab Atticis fere alienum est (cf. Kuehner. § 556, 1 c.) et Schoemann. ad Isae. II, 19). quale sit discrimen inter πρίν et πρὶν ἤ, explicare conatur G. Hermann in adn. ad Eurip. Med. v. 1034. (in Eurip. Med. edit. Elmslei p. 385). G. Curtius (griech. Gramm. § 635,11) putat πρὶν breviter dici pro vetustiore formula πρίν (adv.) ἤ i. e. 'prius, quam' (cf. Brugmann, griech. Synt. Hdb. d. class. Altw. Iw. Mueller. II. p. 124). — ceterum in plerisque, quae mihi praesto sunt, exemplis valde inter se differunt librorum lectiones: Isocr. IV, 19 πρίν ΓΕ, πρὶν ἤ rell., Demosth. XXII, 15 πρὶν ἤ Fkrtv (Bekk.), Aeschin. III, 25 πρίν n, πρὶν ἤ rell., ibid. 77 πρίν agmn (=B Weidn.), πρὶν ἤ ekl (=A Weidn.)

Quod denique attinet ad particulam ἄν, saepe incertum est, legenda sit necne. ut rem uno exemplo illustrem, in quinque deinceps paragraphi 78 interrogatio-

---

[1]) quod exemplum miror non adlatum esse a Luethio 'De usu particulae πρίν, qualis apud oratores Atticos fuerit'. diss. inaug. Rostock 1877.